
I. HIERONYMI CATENAE ACADEMICI AFFIDATI LATINA MONVMENTA




Inquiſitor Papienſis uidit.


PAPIAE

Apud Hieronymum Bartolum 1577.

I. HIERONYMVS CATENA

MICHAELI. BONELLO ALEXANDRINO Cardinali. Amplissimo S. P. D.







NTEQVAM philosophiae, ac theologiae studijs, Michael Bonelle Cardinalis amplissime, teneri coepissem, illorum hominũ sententiam minime probandam iudicaui, qui adolescentulos ad seuera studia, atq. ad ea cognoscenda animũ adiungere uolunt, quæ vix longa disciplina exercitata ingenia attingere umquam potuere. Quare illud fieri necesse est, ut ij uel rerum pondere, ac magnitudine obruantur, uel in maximam discendae honestae artis desperationem adducantur. Ipse uero cum audiuissem Platonem in primis praestantesq. alios philosophos carminibus operam dedisse, disertissimos ueterum imitatus in teneri aetate poesim plurimum adamaui. Proinde factum est, ut poemata clarissimorũ uirorum, libentissi-

me ad ea lectione adhibita, e manibus dimittere non parum aegreferrem. Animaduerti postea Pythagorae carmina, Phocylidis, & quae Empedoclis, Parmenidis, Nicandri, & Theognidis dicuntur, ad mores informandos instituta, & orationibus faciendis, ac ornandis maxime prodesse, atq. his humile quoddam dicendi genus euitari posse, sublimeq. artificiosa quadam uerborum constructione sonare pro certo habui. Adde quoque omnia esse ad prudentiam, & industriam conficta, ad omneq. bene instituti animi robur confirmandum. Homeri etenim poesim sapientiae studium, ac philosophiam esse nemo umquam infitiatus est, quae res gerendas cum iucunditate praecipiat, quae ad uirtutem, ad locorum multorum, militiae, agriculturae, rhetoricae, temporum, ac morum cognitionem perutilis, diuina, atq. humana omnia amplexetur. Nam poesis imago ueritatis habetur, semper praestantissimum quoddam exemplar in exprimendis hominum moribus respicit, nec quales fuerint, sed quales esse debuerint considerat. Quod Historici praestare non possunt, qui res pro ut gestae sunt scribentes imperfecta plerumque, ac erroribus pluribus inuoluta exempla proponunt imitanda. Hac comminuitur amens audacia, & temeritas si pericula, si res truculentae, auditu, aspectuq. terribiles in medium afferantur, sin autem commiseranda fuerint, ad mansuetudinem, & commiserationem mortales inflectuntur. Haec ho-

minum

minum animos peruellit, emollit, urget, incitat, frangit, inflammat. Homerus Vlixem ſapientiſsimum in tentandis animis, in rogationibus, in legatione facundiſsimum: hunc oratorem, alium imperatorem agentem, alium alia facinora obeuntem decentiſsime effingit. Recte igitur magnus Baſilius protulit poeſim illam laudem omnem, & exemplar virtutis haberi. Atqui dixit Ariſtoteles nos ab exemplis, & fabulis facilius addiſcere, ſunt enim quae explorata habeantur, ueriſimile unuſquiſque amplectitur libentius. Quod enim poetae effingunt, ante oculos, ut geri uideatur, quodammodo poſitum eſt. Illud quoq. iucundiſsimũ exiſtimari conuenit, cum iocis ſeria admiſta ſunt, ita auditorum animus allicitur, ita retinetur, ut fortius, ac praeſtantius nihil unquam fieri poſsit. Quod poematum genus ipſe proſecutus ſum, nam modo paſtorum luſus, mollium, ac placidiſſimorum hominum mores ἀποφθέγματα, fabellas, puellarum iocos, modo heroum laudes, egregiaq. facta, caeleſtium honores complecti ſtudui. Vt merito poſsim mea poemata pictoris alicuius comparare domui, quae uarias hinc atq. hinc affixas imagines contineat, ut quo quis ſe uertat, nouis, ſeiunctisq. tabulis delectetur, animumq. paſcat. Quod ſi illas ſilentes laudabit, hanc fortaſſe mirabitur picturam loquentem. Multa ſunt huic generi ornamenta tradita, cui deos hominibus comercio iunctos canere licet, deorumq. nominibus ad-

ditis, praeclarum quiddam aperire. Alia peregrinis, alia nouis, alia translatis, formisq. multiplicibus ornare. Praeterea uariis pedum generibus, rhytmis uariis omnia coaptare, quibus poemata tantum ponderis, ac uenustatis habere dicuntur, ut etiam si inania quaedam contineant argumenta, numerorum tamen moderatione ad se se rapiant auditores, ut in illorum animis concitent uoluptatem, eisq. quid quid uelint, facile persuadeant. Quod ueteres bellissime cognouerunt, atq. etiam antequam Cadmus, Pherecydes, & Hecataeus soluta scribere oratione docuissent, metrumq. soluissent, cum usq. ad illa tempora, ut omnis antiquitas loquitur, carmine tantum uterentur. Propterea solum Poetam ipsum sapientē esse uniuersi adseruerunt, ne dum Pythagorici. Felicem existimauit Achillem Alexander Magnus, quod amicum eiusmodi habuisset uiuus, praeconem tantū mortuus. Stesichorum poetam inter deos retulerunt Himerenses, ut de aliis taceam. Hinc intelligi potest, quantum poetarum reprehensoribus uitio uertatur, qui etiam dum poetas exagitant, recordentur, se Moysi, Hieremiae, Esaiae, Dauidi, & huius generis aliis maledicta obijcere, qui res diuinas carmine descripserunt; nec ob huius, uel illius mali poetae impuritatem sanctissimum hoc omnibus nomen facere conentur profanū, ipsumq. mundi conditorē Deum, qui apud Graeciae Christianos omnes sanctissime colitur, iurgiis impetere uideantur.

uideantur. Nam quem nos factorem caeli, & terrae dicimus, ipſi poetam dicunt. Sed de his hactenus, alio enim opere ſingillatim poetarum detractores abunde confutaui. Hic tantum oſtendere ſatis ſit ſtudiorum meorum, atq. inſtituti in ipſo adoleſcentiae flore rationes, quamq. damnandos cenſeam qui humaniorum litterarum, omnisq. antiquitatis rudes, nulla dicendi arte, nulla uerborum ui, ac cognitione inſtructi Mineruae penetralia adire audent, quos, non ſecus ac ſi Meduſae caput inſpexiſſent, ſtupor quidam corripit aeternus. Ego uero totis uiribus enixus ſum ueterum monumenta euoluere, tum oratorum, tum hiſtoricorum, tum poetarum, ipſe plura epiſtolarum uolumina, trium Cardinalium nomine ſcripta, edidi, declamationes antea plures, carmina plura, mediocria fateor, ſed quæ potuit adoleſcentia mea, cum latinitatem, ceterasq. linguas adipiſcendas mihi propoſuiſſem. Quae tibi mittere ſtatui, non quod digna fore putarem amplitudine, et dignitate tua, nam tanti honoris nomen non ſuſtineo, ut aliquid abſolutum, aut perfectum excogitare poſſim, ſad eo feci, ut obſeruantia in te mea numquam defutura uideatur, atq. etiam ut inuidiae, ac maledictionis periculum ſine mea moleſtia declinarem, eum mihi eligere patronum certum fuit, qui ſingulari probitate, nominisq. auctoritate plurimum inter mortales pollens, omnium maleuolorum voculas comprimeret. Quotus enim quiſ-

que est, qui te in isto ordine integritatis; & inno centiae exempla praebentem, nihilq. quod non sit cum laude, & dignitate coniunctum cogitantem non obseruet, non admiretur? Quis te umquam prauis cupidinibus captum, eos in familiaritatem, & beneuolentiam tuam recepisse uidit, quorum uita flagitio aliquo fuerit labefactata? Quod genus hominum est, quod tua uox, & doctrina ad humanarum, diuinarumq. rerum cognitionem non traducat, quod tua in religionem pietas, qua nihil tibi fuit antiquius, ad bene, beataeq. uiuendum non inflammet? Silentio praetereunda sunt cuncto Christiano populo notissima, quae in Pii V. omnium mortalium, ac principum beatissimi pontificatu gesseris, cum totius pontificiae iurisditionis clauum tenebas; cum Reip. gubernacula tractabas, cum in oculis totius orbis, & in hac clarissimorum uirorum luce responsa, atq. decreta & reddebas, & interponebas, in publicorumq. & grauissimorum negociorum fluctibus uersabaris, cũ in te uno uigilantissimus Pontifex conquiescebat. Ne uerbum quidem proferam, quando oratione complecti neque ego, neque forsan quiuis eloquentissimus orator se posse confidat, de tribus simul ad tres potentissimos Reges legationibus obitis. Illud certe non tacebo Pio V. in caelum sublato, cum tu animi, virtutisq. signa dederis, multis laboribus, ac periculis persunctus, multis honoribus affectus, non uacationem, non laborum

remissionem

remiſſionem tibi ipſi impetraſti, ſed bonarum litterarum ſtudia repetiſti, ad Theologiae contemplationem in quam nemo te propenſior fuit, cucurriſti, eos, qui ſtudio litterarum incenſi ſunt, amplecteris, ſuſcipis, carosq. habes. Optima igitur ratione me facturum exiſtimaui, ſi tibi acerrimi ingenij, eximiaeq. uirtutis uiro, ac iudicij prope ſingularis carminum opus, quod obſeruantiae erga te meae perpetuum eſſet monumentum, dicarem. Nam praeter quam quod mei muneris eſt eorum ornamentorum, quae à te multa in nos profecta eſſe cognoſco, ſemper meminiſſe, fere omnes in te oculos conijcientes, cum opus meum legerint, tui unius ſtudio potius, quam rerum ipſarum cauſa, laudabunt, boniq. conſulent. Et cum omnem curam, operam, induſtriam ad te unum conferendam cum animo meo ſemper cogitarim, hoc qualecumque ſit opus, tamquam tuum, ex tua enim domo exit, recognoſce, foue, atq. ab omni iniuria defende. Quod ſi à te factum, quae tua eſt humanitas, intellexero, & me hoc beneficio retinueris, maiora fortaſſe opera, grauiora ſane, quibus prope abſolutis tamquam faſtigium impoſiturus ſum, edenda, ac tibi dicanda conſtituam. Vale.

POMPONII TAVRELLI· COMITIS MONTIS. CLARVGVLI

PHoebe, qui obscuris tenebris profundi
Inuides orci monumenta uatum,
Et beas si quos cecinere, et ipsis
Inferis astris:
Tu mei uatis lepidos libellos,
Aureos docti numeros Catenae
Tu foues unus, gelidaq. donas
Morte carere.
Optimi prodite noui libelli,
Lucidum laudis per iter uagantes,
Virginum plaudente Helicone ab alto, et
Auspice coetu:
Vos potens centum bona fama linguis
Anteat, uestros Lacrymans honores
Pallidus spectet, nequeatq. acerbus
Carpere liuor.

LAVRENTII. GAMBARAE BRIXIANI

NOn est, quod mutilum dolcat nunc Roma Catullũ,
Quidue rapit decoris perniciosa dies.

En

En doctus cecinit tot carmina culta Catena,
Audiat ut ſimiles Lesbia amata modos.
En hic Aonij fontes, en Pegaſis unda,
En hic cum placidis ſeria miſta iocis.
Cuncta catenata ſerie, ut prius, ordine currunt,
Quodq. olim rapuit, reddidit ipſa dies.

IO. DOMINICI. REBIBAE. EPISCOPI AD. I. H. CATENAM

INuiſus fueram Phoebo, doctisq. camoenis,
Nulla fuit rebus ſtella benigna meis.
At poſtquam placido legi tua carmina uultu,
Mutatas uideor ſortis habere uices,
Illa ſuis conſtant numeris, uarioq. lepore
Mixta, cadunt inſtar more fluentis aquae.
Nil puerile ſonant, nulleq; ſine ordine uoces,
Nuncia ſunt animi uerba diſerta tui.
Protinus ut uidi carmen, certiſsima cœpi
Gaudia, quæ nulla ſunt peritura die.
Vnde ſuos citius repetent ad flumina fontes,
Stabit et absq; omni frondis honore nemus.
Et ſine ſideribus ſpatioſa uolumina cœli,
Vſque memor quàm non ſim, maneamq. tui.

GVLIELMI. MODICII MONTEFERRATENSIS

OTia qui lepido cupis oblectare libello,
Preſſaue triſtitia corda leuare graui:

Hæc euolue libens docti monumenta Catenæ.
Est ibi pax animis: est ibi certa quies.
Sunt lusus, mollesq. ioci, miroq. lepore
Romanis similes, Cecropijsq. sales.
Temporis hic quicquid pones, lętabere multum.
Hinc operępretium lector abunde feres.
Hæc non ex ferro grauis est, sed qualis amantum
Et leuis, & mollis corda catena tenet.

NICOLAI. TVCCII. LVCENSIS

SPonsam carmine ab inferis tenebris
Orpheus ad superas reduxit auras.
Musam carmine ab inferis tenebris
Catena ad superas reducit auras,
Nimirum grauis est uterque uates,
Fati uictor uterque, uterque gratus
Phębo, & Pieridum decus sororum.
Orpheo sed tamen hoc Catena maior,
Quod ille Eurydici suæ uolenti
Dicitur precibusq. lacrymisq.
Spirantem tepidamq; adhuc in ipso.
Mortis limine reddidisse uitam.
At hic alterius potest camœnam
Inuiti bendecasyllabo tremendo
Extinctam gelidamq. de profunda
Nocte post duo lustra suscitare.

PETRI. GHERARDI

QVod me diligis, & tuos libellos
Qui sunt carminibus bonis referti,
Legendos mihi sæpius dedisti,
Te complectar amore singulari,
Et multum tibi debeam necesse est.
Nam tuo quid amore Gratiarum
Alumne, & decus unicum Mineruæ
Est amabilius? quid est, quod optent
Magis uel iuuenes, uirumue cœtus,
Vt uiuant bene, ac satis beate?
Quid rursus numeris tuis politis
Potest esse politius? putaui,
Cum legi numeros tuos uenustos,
Me uatum numeros uetustiorum
Quos illa aurea sæcla protulerunt
Romæ, perlegere, Ergo amice care
Pro tua bonitate perge quęso
Et me diligere, & tuos libellos
Legendos mihi tradere ut perennem
Vitam cum superis agam beatus.

PAVLI. CREMAE. EQVITIS

COnsuetum ad delicias, & flumen amœnum
Cum uagus huc illuc forte rediret amor,
Non me, inquit, reuocat Mater, faciesue locorum,
Illa licet roseos pandat & illa sinus.

Quo me cumq. tuli, lususq. ιociq. sequuntur,
Atque suas promit Daedala Mater opes
Dulcia sed reuocant facundi plectra CATENAE
Illa Terapnæis æmula plectra modis.
Me genitrix, fateor, me lucus, & inclytus amnis
Huc ciet, at multo blandius illa tenent.

I. FRANCISCI FERRAII

SVrgeret à claro quod sanguine, sors fuit illi,
Obscuro poterat qui iacuisse loco.
Quod fruitur natus patrio sudore paratis
Non illi, at parco est gratia habenda patri.
Sed propria uirtute sibi, proprioq. labore
Qui laudem egregiam, diuitiasq. parit.
Ille quidem populo merito laudatur ab omni,
Fortunæ fuerit quod faber ipse suæ:
Murice luxuriant tincta qua ueste tyranni,
Hæc eadem pecoris sordida lana fuit:
Hærentem & quamuis semper gestaret eandem,
Muta fuit semper, cernua semper ouis.
Res sine uirtute est proiecta uilior alga,
Immutat uestis nec preciosa genus.
Simia purpureo quamuis decoretur amictu,
Quamuis sceptra gerat, simia semper erit.
Cum ualeas sapiens, quæ sentis, dicere abunde
Cum tibi contingant gloria, fama, lepos:
Cur mihi non liceat diti præferre poetam
Candidulum lingua, candidulumq; manu?

Quantum

Quantum humus ardenti cedit lutulenta lapillo,
Vmbra corporibus, corpora quantum animis:
Diuitias tantum uirtuti cedere par est,
Tantum carminibus, docte Catena, tuis.

EIVSDEM

QVæ Phoebum, et Veneres, Musasq. coercet in vnũ,
Et sempiterna pace Catena ligat
Herculis hæc quondam facili defluxit ab ore
Immites populos dum trahit eloquio.

IVLIVS PASINVS

OPtime scio te Catena uinctum
Esse compedibus negociorum,
Ita ut uix liceat tibi occupato
Respirare. uidentur id monere
Qui tecum per epistolas loquuntur,
Ne pro litterulis tibi libellos
Mittant, quîs onera augeant amici.
Hæc mecum reputans me herclè malo
Versibus tibi pauculis placere,
Quàm uoluminibus mihimetipsi:
Licet scribere ad optimos amicos,
Vt mos est meus, uberè, atque plenè,
Sit iucunda animi mei uoluptas.
Hos ergo accipies Catena noster
Si minus lepidos, et elegantes,

At certe hendecasyllabos Pasini ;
Hoc est unanimi , boniq. amici .
Qui te plus amat , atq. semetipsum .

MARII. PODIANI

PAllas mi tua perplacet Catena ,
Qui uersus lepidis ligas Catenis
Arguti salis , artis & pudicæ .
Verum quam tibi debeo (à Disertis
Laudari quia gloriosa res est)
Hostem tam uoco , iudicoq. Paullum ;
Qui de me nimis impie loquatur ,
Quando sum rogo quando uisus amnes ,
Aut annos Cithara rudi hac morari ,
Et montes trahere ? Id profecto numquam
Est ausus melior Mamettus Orpheo .
Vah , Nolo titulo boni Poetæ ,
Qui sistunt Fluuios ualente Rhombo ,
Ac urgent iuga Montium , cremari ,
Vel scindi manibus Puellularum .

LEONORAE. SANVITALIS
GIBERTI. COMITIS. SALAE
Filiae Scandiani dominae

TAm lepidis condis, nectisq. CATENA, Catenis
Versus, Vt ualeat soluere nulla dies .

I. HIERO-

I. HIERONYMI CATENAE ACADEMICI. AFFIDATI POEMATVM

Liber. Primus

AD. MICHAELEM BONELLVM. ALEXANDRINVM. CARDINALEM. AMPLISSIMVM.



AGNE pater, florens animi, morumq. iuuenta,
Summus amor recti, ac diuis proxima uirtus.
Te claris tollunt astris radiantis Olympi,
Et decus immortale tibi, laudemq. pararunt:
Dum Quincti mandata Pij, cum Sirius ardet,
Exequeris, firmans socialia foedera regum,
Longinquosq. adiens populos, gentesq. superbas.
Te Tagus auriferis excepit notus arenis,
Setabis ipse tibi fauit, Sicorisq. & Iberus,
Ac magnas ostentat opes, & robora gentis

Pulchra Lysa, intortos auro circundata crines.
Hesperij studioq. tuo, prudentia, & alto
Consilio accensi bello iuuenesq. ducesq.
Italiam coeunt, Romanis foedera iungunt,
Veliuolasq. rates in saeuos funera Thracas
Accelerant, trabibusq. cauis freta caerula currunt.
Turca ferox contra soluebat carbasa malo,
Ventosum scindens lunatis classibus aequor,
Implebat saeuis Italas terroribus urbes,
Idaliamq. Cyprum uastabat marte cruento.
At olli cecidere animi, cum martius heros
Austrius; ac Veneti proceres, fortisq. Columna
Aduentant: magno perculsus corda timore
Educit puppes tumidum per nerea, lunas
Explicat, atq. atrox tandem fera proelia miscet.
Hinc pia gens ardet Scythico maculare cruore
Aequora, & aeratas ferro confringere pinus,
Mersare & pelago, rapidaq. absumere flamma.
Quod dedit actutum superas qui possidet arces,
Scilicet & Geticas bello domuisse phalanges,
Imperium tenuisse maris, Nomadasq. genusq.
Infidum Turcas nostros decorare triumphos.
Ergo dulcisona modulabile carmen auena
Ducendum, festasq. decet celebrare choreas,
Nunc opus Aonidum cantu, fidibusq. canoris,
Nunc quoq. quae, Michael, primo sub flore iuuētae
Lusimus, accipias, forsan de vertice Pindi
Olim dona feram doctae placitura Mineruae.

IN. SELINVM. OCTOMANVM
Turcarum tyrannum

Bella cies inter spumantis pocula Bacchi
Seline, & classem, saeuaq. tela paras?
Composita & Venetis bacchans tu foedera rumpis,
Atq. scypho Cyprum concutis? Ecce cadis.
Non te Selinum stolidi dixisse parentes,
Sed te Silenum dicere debuerant.

AD. CAMILLVM. AVSTRIAE
CORRIGII. DOMINVM

En tandem indomitus truculento marte tyrannus
Concidit, en uoluit Turcarum corpora Nereus,
Atque maris Scythico foedata est unda cruore.
Tu, qui bella moues, & sanguine clarus auito es
Austriaco, tanti pars magna Camille triumphi
Accipe quae in victos lusi modo carmina Thracas.
Si possent nostrae infirmae subsistere uires,
Egregiasq. tuas laudes, & fortia facta,
Austriacumq. Ducem ferrem super aethera cantu.
Vt nunc Ismariam Corcyrae ab litore gentem
Lethali insignem iaculo, leuibusq. sagittis
Expellis, canerem, lymphata ut mente furentes
Huc, illuc passim mittis sub tartara Mauros,
Et quas Ionio perdis sub gurgite puppes
Threicias, & quas Epiri in litoris ora

Incendis, capis, excindis nauesq. uirosq.
Dum tercentenis sulcabat puppibus aequor,
Turca ferox, spolijs quando exultabat opimis.
Auderem bellantum acies, horrentia circum
Agmina, & infando liquentia corpora tabo
Proferre, & pluuios ignes, & sulphuris aestus,
Sanguineos fluctus, captas, caesasq; triremes.
Sit labor alterius, tanti sit conditor acti
Corsus, grandiloqui aequiparans monumenta Maronis,
Is tua perpetuis seruabit nomina cartis.

IN. PRAEFECTVM. CLASSIS. TVRCICAE. QVAE. NONIS. OCTOBRIS. DELETA. EST. CIↃ. IↃ.LXXI

DEficiant uires Turcis, si forte requiris,
Cultores lunae cur maris ima tegant?
In nos imprudens Turcarum Ductor, & amens
Deduxit, luna deficiente, rates.

IN. SELINVM. OCTOMANVM TVRCARVM. TYRANNVM.

DVm uidet infidum Neptunus uina bibentem
Selinum, puras qui prius hausit aquas.
Reginam uolucrum impellit, ualidumq. Leonem,
Et proceres contra Thracia monstra pios.
Qui Nomadum classem, agmen, lunatasq. phalanges
Incendunt, capiunt, disijciuntq. fugant.

I nunc Neptunum temnas, tumeasq. Lyeo.
Cede mari, & uictus Thrax uada salsa bibe.

IN. TVRCAS. POST. AMISSAM CLASSEM

TErgeminae abstulerat Hecates duo numina Turcae
Queis fuerat late fulcta superba domus.
Nam caelo lunam, pharetras, arcusq. Dianae
Sumpsere in nostros damna cruenta Duces.
Ast ambae Hesperiae diuino foedere iunctae
Leucadis ad fluctus, Ioniumq. fretum
Cornua fregerunt lunae, pharetrasq. sudesq.
Traxeruntq. domum perfida monstra Scythas.
Nunc, Turcae, amisso caelo, terraq. mariq.
Solum uos Hecates tertia regna manent.

HESTORRIS. BALIONI. CAENOTAPHIVM

VIATOR. ET. CVSTOS
Conloquuntur

Vi. *QVid clypei his loculis? quid fracti ensesq. su-(desque?*
Italia hîc moestas cui sacrat inferias?
Cu. *Dux ille Hesperijs, ille heu Dux notus Eois,*
Notus qua fusa est Tethyos unda, perit.
Hestorris magni miserum flet gloria funus,
Militia heu torpet, torpet & imperium.

Vi. *Quae tantũ mens ausa nefas est? Cu. barbara Erinnys,*
Diuum cõtẽptrix, atque hominũ fidei.
Non hunc Ismarius, nõ hunc Thrax vincere miles,
Turpiter at potuit prodere Turca ferox.

DE. AVGVSTINO BARBARICO

PRoelia BARBARICVS dum pugnat fortibus ausis,
Mergit & Ismariòs sub uada salsa Duces,
Accipiens oculo uulnus lethale, libenter,
Protulit, euictis hostibus, intereo.

AD. CLOELIAM. SALAMONIAM Dominam Plani Mileti, & Victoriam eius filiam.

O Inter celebres Italiae nurus,
Quae luna renites Clœlia purior,
Et tu quae faculas ex oculis iacis,
Quid caecis ploras in tenebris latens?
Ne saeui ah roseas unguibus in genas,
Ne VICTORIA te confice lacrymis.
Ne solue aureolos pallidula manu,
Aut tam crudelis frange capillulos.
Nam frater rutilat sidere clarior,
Pro Christi imperio Prosper hic occidit,
Haec quaerunt homines uulnera nobiles,
Haec optant rebus praemia in arduis.

Tu laedis gemitu Cloelia filium,
Turbas funereis tot querimonijs,
Is laetus residet Coelicolum choro,
Et nostros fletus ridet inutiles.
Ergo uos lacrymis ponite iam modum,
Ergo iam rutilis parcite crinibus,
Diuum consilium, fataq. postulant
A uobis hoc, & dura necessitas.

AD. FELICEM. VRSINAM COLVMNAM

In reditu Marci Ant. Columnae.

QVot suspiria, lacrymasq. FELIX
Dedisti anxia pro tuo Columna,
Tot spargas ueneres, iocos, amores,
Tot nunc illecebras, nouosq. lusus.
Ille Romulidum decus Columna
Non timet pelagi minas furentis,
Quem non fulmina, barbariq. terrent,
Non classes citæ, & hostium phalanges,
Cui Mauors pater est, parensq. uirtus.
Seruant numina sospitem Columnam.
Cedat inuidus hinc, & obloquutor.
Venit omnibus ex petitus. Ergo
FELIX delicias para, beato
Gaudio flue, tota conliquesce.

IN. OBITVM. ALEXANDRI FABRICII. ROM

Pro Iulio Bardino.

HAec tibi ALEXANDER dum funera curat Iulus,
Saepe iterat querulo tristia uerba sono.
Quid puer immiti uectus per cerula uento
Optasti in Turcas bella cruenta sequi?
Non fuit ista cauo facies iactanda profundo,
Non istam decuit tela tenere manum,
Inuidiaę fuit, eheu morbo perfida Caeli
Tam pulchrum infecit Iuno Pelasga caput.
Hei mihi adhuc urget Paridis sententia, ut omnes
Duret in Aeneadas ira dolorq. Deae.

IN. OBITVM FVLVII. STALLAE ROMANI. ADOLESCENTIS

ERGO dum Veneris natos, Regnumq. tueris.
Occidis? heu pompae, delicieq. breues.
Heu Fului miserande iaces? modo nec tua tangunt
Et Venerem, & natos aspera fata nimis?
Tu maris iratos poteras componere fluctus,
Obruere insanis transtra inimica uadis.
Dura Venus, crudelis Amor, spes irrita amantum,
FVLVIVS haec uester praemia miles habet?
Ne excidij des signa obitu. procul omen abesto,
Tu sat eris Cypriae flenda ruina Deae.

IN. TVRCAS NAVALI. PROELIO. VICTOS
Ad Aldum Manutium Paulli F

ALde, Quem colit Adria, atque Tybris,
Et quo Mercurius stupet loquente,
O lux Palladia, unde litterarum
Ornamenta nitent, & hinc & inde.
Me desiderium rapit, Tyranni
Tot caesas canere impias triremes,
Quae per Adriacum sinum furebant
Onustæ spolijs, rapina ouantes.
Grandi percuperem Thalia honores
Dicere Austriaci Ducis, sed ingens
Me terret pudor, imparesq. uires,
Ne tanti minuam uiri triumphos.
Tu, qui Maeonio resurgis oestro,
Iberum iuuenem cane, ut superbas
Mersat Threicias rates sub undis,
Et pontum Scythico cruore tingit,
Vt cito Ismarias ruit phalanges,
Inuictas nimis, atque praepotentes.
Turcis nectit ut aeneas catenas,
Aegeo dominatur, ac potitur
Rerum. Vt maritigenae trophoea Romae
Decus Romulidum refert Columna,
Potens consilio, potensq. dextra.
Heroas celebres, & hos & illos
Insignes Venetos perenni honore,

Fortem Vinerium, impigrum Quirinum;
Acrem Barbaricum, grauem sagacem,
Prudentem numeris ad astra tolle.
Gesta condito gloriae referta. haec
Debebit tibi pugna sempiternum.

AD. ANT. PAVLONIVM

LVstrasti populos feros, trucesq.
Antoni, aequora, regna, nationes,
Nec non quae loca multo olent Iaccho,
Et quamuis faueat poetae Iacchus,
Faecundus faciat calix disertum
Vatem, non tu epigrammata euomebas
Illo consilio, tuum palatum
Non probat calicem ebriosiorem,
Non illa numeros bibacitate
Fundebas, sed amore suauiori
Dulcis, & lepidae tuae puellae
Musae te nimium ebrium ebriabant,
Hic tu non potes esse temperatus,
Nam tibi ingenium puella fecit
Puella ingenium facit disertum,
Numquam feruida uina, olensq; crater.
Haec imis facit aestues medullis,
Haec te delicias docet deorum,
Haec ad sidera subleuat iacentem,
Sic ueras animus fugat uoraces,
Hoc sane ambrosia est ali, & fruisci.

Antoni es ter, & amplius beatus,
Cui tam lectcola obtigit puella,
Pulchra pulchro animo, & nitente forma.

IN. NICOLAVM. TVCCIVM
De eius carminibus

QVae uos, quae manus impia, et seuera
Vssit carmina tam uenusta? quae uos
Fauillae rapuere edaciores?
Qui uos fecerat erudita, qui uos
Pulchra Tuccius vssit? heu decoram
Ille nae Venerem ussit, & lepores.
Iam Tucci uideor uidere Cyprin
Iratam tibi amice, quae uoracem
Coget ut pereas anum impudicam,
Turpem gibbere, curuam, olentem, anhelam,
Quae te spernat, adurat, usque qua tu
Rebaccheris, et usque torquearis.
Prome, si tibi scis cauere, prome
Quod dixti reliquum poema, namq.
Irata est Dea, temnere hanc caueto.

AD. CAMILLVM. AVSTRIAE
CORRIGI. DOMINVM

CVm dira in superos mouisset bella Typhoeus,
Totaq. contremeret regia celsa Deum,

Non aries summum texisset imagine falsa,
Non umquam coleret terra Libyssa Iouem.
Si tunc ipse tuam potuisset sumere formam
Iuppiter, aut animis arma CAMILLE tuis.
Non illum Caelo turbassent monstra Gygantum,
Nec uolucri ferrent terga dedisse fugae.
Bella etenim suetus semper facere ardua, cunctos
AVSTRIA Terrigenas uincere Marte potest.

AD. GAMBARAM. RHODIVM

O Si flebilibus modis ualerem
Canorae Cytharae, salubribusue
Succis pellere GAMBARAE uenusti
Nodosam, rabidam, malam chiragram,
Hoc esset mihi charius salute,
Ac dulcedine uitae. Apollo honoris
Cura si tetigit, tuumue tangit
Pectus, relligionis hunc honorem
Conserua innumerabiles in annos,
Pelle iam rabidam, malam chiragram.
Ter quater male sit tibi chiragra,
Quae afficis Rhodium truci dolore,
Nec sinis requiescere in tenebris
Furuis, lumine nec sinis diurno.
Centies male sit tibi chiragra,
Quae me turgidulis iubes ocellis
Esse hic, ob Rhodij graues dolores,
Nec fletu, aut precibus moueris ullis,

Quantum carmine te execrari amarem,
Abi hinc pessima, nunc abi chiragra,
Millies male sit tibi chiragra,
Sit tibi male millies chiragra,
Iam carmen rabidas fugaret hydras,
Carmen Eumenidasq. mitiores
Redderet; tamen haud tuos furores.
Aeternum o male sit tibi chiragra.

AD. F. VINCENTIVM. CATENAM. PATRVVM.

Singula cum uideam magno nutare periclo,
Audacesq. Scythas instruere insidias.
Quanta profanatis absit reuerentia templis,
Quot bona turbata relligione cadant.
Quid uanae pompae, quid gloria diuitis auri
Me moueant, Serum & uellera pexa iuuent?
Mi solum dumosa placent, atq. inuia lustra,
Oranti numen CHRISTE benigne tuum.
Vincentiq. tuos mores, exemplaq. uitae,
Admiror solum proxima Caelicolis.

AD. CAESAREM FERRVM.

Gratulor tibi CAESAR, eruditum,
Ingenti probitate, moribusq.
Dignis Pythagora tuum magistrum

Inuentum esse, mihiq. rettulerunt,
Hunc iuncto pede, tum magis soluto
Doctum scribere, & optime latine.
Sic sceptroq. suo malos puellos
Seuerum premere, ut Catonibusq,
Magnis Sulpicijsq. Tullijsq.
Non cedat grauitate, & eleganti
Stylo dicere iura in urbe sacra
Iam doctis ualeat. Venuste amice
Saepe, ac saepius oro ne recuses
Docto ascribere me gregi tuorum
Amantum unanimem tuum Catenam.

AD. IVLIVM. MASETVM

Masete, Aonidum, patrisq. Phoebi
Rarae deliciae, nouiq. amores,
Doctis tam bene perpolite Athenis,
Quis mordax criticus, malis uenenis
Perfusus, leuis, impudens alastor
Carpsit ingenuam tuam papyrum?
Qua nil doctius est, uenustiusq.
Qua loquente, loqui Maro uidetur,
Qua loquente, loqui Cato uidetur,
Nec quidquam inlepidum est, & infacetum,
Nihil Caesarij ungue leuigandum.
Pallas candida, et ipsa luculenta
Clio mi tua perplacet Masete.
Monstrum proditor ille somniauit.
Rumpatur malus, inuidusq. mordax.

AD. IVLIVM. IACOBILLVM

SAnum Democritus repellit ipsum
Poetam ex helicone, sed putatur
Diuini hic penitus furoris expers.
Humano quoniam furore tacti
Sacra Thespiadum nec attigisse,
Nec concernere mente perspicaci
Possunt tot documenta sub figuris,
Nec sales uario lepore tinctos,
Hinc ipsi excipiuntur & cachinnis,
Et ronchis miseri in dies, & horas.
Sed quos Melpomene uidet benigna
Luce, delicias, melosq. possunt
Fontis ebibere Aonum beati.
Ergo ne uereare nunc I V L E
Ire sobrius ad nouem sorores,
Quarum semina mentis attributa
Sunt tibi à puero, furore sancto.
Vt recludere iam queas latentem
Ex Aristotelis libris Mineruam,
Ac μαθήματα noscitare multa.
Idcirco implicuisse te choreis
Musarum potes, astra clariora
Celso uertice nam dabunt ferire.

AD. FAVSTVM PERLEONIVM

IVcundiſſime FAVSTE nam diebus
Multis non potui uidere te, nec
Alloqui, mihi ſi dies fuere
Infauſti, quid erit profecto mirum?
Eheu me miſerum pericla paſſus
Quotquot Orbis habet diebus his ſum,
Fugerunt ſuperi, et nouem ſororum
Chorus me Aonius, refugit altus
Apollo, miſerum, prius ſolebam
Plura carmina, quam roſas, et herbas
Noſter hortus habet, rubentq. fraga,
Auena modulari, et omnis en iam
Liquor tabuit, et repente factus
Sum nunc Harpocrates, tamen uenires
Si huc fauſto pede, fauſta cuncta nobis
Eſſent, iam mora nulla Fauſte faxit,
Quin uiſas trepidum tuum Catenam.
Ah boni officij tui memento,
Spinoſas animi leuato curas.

DE. ANDREA. MICVTIO. NVCERINO. PEDITVM Praefecto

COnſilio, dextraq. potens MICVTIVS, enſe
Dum ferit, atque hoſtes irruit in medios,

Atque huius primum caua tempora traijcit, illum
Demetit, atque alium pene dat ipse neci,
Mirantur uicti simul omnes, seq. tuentes,
Centeni, dicunt, militis instar hic est.

DE. CAECO. QVODAM Amore. capto

HEi mihi caecus Amor caecum me cepit, & ipsam
Praedata est mentem femina sola meam.
Dic mihi, nunc capiti misero duo lumina adempta
Quid prosunt? si mens non habet ipsa oculos?

AD. IO. BAPTISTAM Heliconam

QVod tibi Romulea uatem donarier urbe
Meonium curae est, italiceq. loqui,
IANE tibi pater exultat Tiberinus, ab alta
Et tibi tarpeia rupe Qnirinus ouat.
Ignotus fuerat iam & uere caecus Homerus,
Lumina per te nunc notus Homerus habet.

DE. OCTAVIO. COGNO mento. patre

OCtaui uolitat dum totam fama per orbem,
Et quisque ad caelum maxima facta uocat,
Atque nouos uersus cantat, laudatq. legitq.
Roma, sacrum gaudens cingere fronde caput,
Aoniae sensere deae. sperate sorores,
Vna refert, numquam hic nos cecidisse sinet.

Carmen at ornatum postquam mirata Thalia est,
O utinam noster hic pater esset, ait.

AD. LAELIVM. PASqualinum.

IAm sex, aut septem cum Gallo uiximus annos,
Nec didicit nomen posse uocare meum,
Illa potest hominis uel magna superbia dici,
Vel stolido lethen pectore flumen habet,
Ah fallor, sordent illi mea nomina LAELI
Sordent, ne quaeras, causa patet, sacra sunt.

AD. LAVRETVM. LILIVM

INnocens huc huc propere falernum
I, feras nobis puer, & corones
Poculum lauro, iubeas puellam
Sed procul esse.
Bella nobiscum faciant puellae
Eminus, rixae Veteris decebunt,
Tibiae, & cantus, cytharae & repulsa
Fila canorae.
Nam canis caelo igneus ortus alto est,
Excoquens terram, pelagus profundum,
Excoquens caelum, pecus omne, & ipsa
Corpora nostra.
Huc ueni LILI positis amaris
Questibus, curis, posito & dolore,
Hi dies dentur genio, parctur.

Blanda uoluptas.
Affer huc risus, lepidosq. lusus.
Huc ueni, quid iam remorare? forsan
Cras canis nostras edet heu medullas
Igne uoraci.

AD. HERVLVM. HERVLVM

QVando Narnia te superbit, ipsa
Eruditior eruditione.
HERVLE, his faueas libens libellis,
Ipsi non secus, ac tuo Catenae.
Tuae non ne prius domi Camoena haec
Dulces edidicit sonare uersus,
Ludens molliculo modo hoc modo illo?
Non ne istic puer altus, eruditus
Mores ingenuae bibi parentis?
Hinc te sum assiduos paratus annos
Amplecti, colere, & sequi, atq. amare
Quantum qui pote plurimum. Ergo amico
Vultu suscipias, laeu Medusae
Deduxi modo quos tibi libellos.

AD. IOANNEM. HIERINVM

AVster iam, boreasq. fremunt, tonat altus olimpo
Iuppiter, & celeri iam pede bruma uenit,
Iam libs in glaciem connectit frigore lymphas,
Iam pendet naso stiria multa tuo,

Incipe Iane artus triplici circundare ueste,
Soluere uincla cado, subdere ligna foco,
In me sed Veneris natus quem concitat ignem,
Sirion in rapidum uertere membra iubet.

AD. IOANNEM. BAPTISTAM
Alexium. socium

Ergo deliciae meae, leporq.
Certum est ire? tuum sine ab parumper
Ianum uiuere, nam peribit, hunc si
Discessum properas. Malus poeta
Non indignus amore, amoris ardens
Donat pignora certa magni amoris,
Pauca haec carmina, plena magni amoris.
Et magno petit à tuo illo amore,
Vt ne te patiare amari ab ullo,
Quanto maximo amore ab ipso amaris.

SPONSUS RESPONDET. VIRGI
ni. Sponsæ

NEc tibi blanditias, fateor, nec debita dixi
Verba, nec heu lacrymis oscula mista dedi;
Corde dedi tamen, & mecum sum saepe locutus,
Bella puella uale, bella puella uale,
Per Venerem iuro, magnum mihi numen amanti,
Per flauos crines, per rosea ora tua,
Ex abitu me me curarum millibus uri,
Et mea præcipuo corda dolore premi.

Non aliter fleui, quam cum soror ipsa recenti
Discedit fratris funere scissa comam.
Non me conceptum Syrtis, non saeua chimera,
Non ponti tulerunt aequora, Scylla uorax,
Vt cecidisse meis tu possis sensibus umquam,
Ipseq. seruitij non memor esse tui.
Iuppiter, ut triui fletu mea lumina, quando
Inuitus tetigi moenia celsa Remi:
Inuito mea uita moram cum fata dederunt,
Totq. à te uidi lucibus esse procul.
Sed si fata uolunt, huc illuc ire necesse est,
Ah lacrimae numquam fata seuera mouent.
Hic non ulla meae capiunt solatia musae,
Nullus deductus uersus in ore sonat.
Arte laboratae uestes, & perside gaza,
Atq. auro intextae, purpureaeq. togae,
Indus quasq. legit rubro de litore gemmas,
Et quae mygdonio marmore tecta nitent,
Nulla iuuant sine te, sine te mihi tristior ipso est
Helleboro dulcis Bacchus, & alma Ceres.
Roma mihi sordet, sinuoso flumine Tibris
Sordet, & Austriaci principis aula mei.
Crudeles diui renuerunt flectere mentis
Consilium, ac dederunt uota ferenda notis.
E heu quam celeri misera haec pede labitur aetas,
Quamq. premit subito curua senecta caput,
E heu quam cito forma perit, quam flebile nostrum
Coniugium, sero si reuocatur amor.
Quae nunc uita foret, si te retinere lacertis,

Si possem somnos iungere languidulos?
Et tecum fessus uacua requiescere in umbra,
Propter aquae riuum, cum canis ardet agros,
Et tecum uarias calamo fixisse uolucres,
Pomaq. frugiferis carpere ab arboribus?
Sed licet hic uerser fortunae fluctibus, ipsa
De nostra stabili ne uereare fide.
Namq. prius patiar caput à ceruice reuelli,
Et longe abruptum trudier in barathrum,
Quam me ab amore tuo nunc altera soluat amantem,
Ah me alia umquam te praeter habebit amans?
Semper ero tuus, Elysios seu uisere campos,
Seu me lugentes uult colere ipsa Venus.
Semper ero memor ipse tui, semper licet omnia
Pocula laetheo plena liquore bibam.
Sed tu, si fortuna loco non semper eodem est,
Turca cum multa munera funde prece,
Quam primum patrios, ut possim cernere muros,
Caraq. Virginiae uisere tecta meae.
Proinde Deum mea uita roga, semel ipse rogatus
Si non cuncta dabit terq. quaterq. dabit.

AD. FRANCISCVM
Carsidonium

VIncis tu Pyladem, bonumq. Orestem
Et fide, & probitate Carsidoni,
Experta toties tuis amicis,
Est unum mihi pergraue, ac molestum,
Quod munus tuleris meae puellae,

Quod dictus lepidus, uenustulusq.
Est amor tibi, candidoq. dente,
Genis purpureis, decente gressu,
Non non hoc mihi sit satis probandum,
Has laudes metuo. boni sodales
Exprobrent potius meos amores.

IN. QVENDAM. POETAM

D*Vm grandi tumefacta sonas tua carmina, uoce,*
Atque animat numeros spiritus ille tuos,
Grandiloquum credis longe superare Maronem,
Et te uicturum longius esse putas.
Te uiuente, mihi credas, tua carmina uiuent,
Teq. cadente simul carmina & ipsa cadent.

IN. MONETAM AD. PAVLLVM. PARA uicinum

D*Ic, illo quid auarius Moneta est,*
Iniustum magis, impudentiusq.
Paulle? qui nimium licentiosas
Manus inijcit in suos clientes,
Et hunc expoliat bonis, & illum?
Nec periuria curat, aut honestum
Nil quod non sonet auream monetam?
Qui pellem rabidus terit caninam,
Nec parcit cupidus sacris, deisq.
Et bonus studet omnibus uideri?

Dij magni, querulum senem, recoctum,
Lippum, rancidulum, febriculosum,
Elumbem, tremulum, nec ore gratum
In malas facite hinc cruces abire.
Dij boni, horribilem, & sacram senectam.
Plenam ruris, & esuritionis
Trudite in stigias nigras lacunas.
Et hunc Thesiphone senem flagello
Magnis ictibus usque uerberato,
Saeuarum agmina conuoca sororum, est
Tantalus tibi puniendus alter.

IN. EFFIGIEM. LVCIAE. FAVstinae Mancinae. Romanae Sepulcro adiunctam

EFfigiem MANCINA tuam dum specto nitentē,
Incensas in me torquet amor faculas.
Quid si uiuentem spectarem? heu cogeret isthaec
Lux, feriens sic me mortua, uiua mori.

IN. EANDEM

VIdit amor decus eximium, formamq. puellae
Mancinae, & matrem credidit esse suam.
Se accinxit niueis innectere colla lacertis,
Et dare purpureis oscula pressa labris:
Sed prope, ut accessit, MANCINAE ut nomina legit,
Edidit haec tristi carmina cara sono.
Quae me fallit? quis tantum huic decus addidit ori?
Aut haec, aut gemina est, aut mihi nulla parens.

DE. HIELLA. QVAE .A. PATRE in. nuptijs. Ludificata . est


DIti sponsa uiro nimium gaudebat HIELLA
Laudabatq. patrem laudibus eximijs,
Vt dulcem posset Veneris decerpere fructum,
Commoda adire sui gaudia coniugij.
Sed postquam annosum sensit fouisse maritum,
Ah iam nec patri est, dixit, habenda fides.

IN. CECILIANVM

ABdicat officio te iudicis Arius omni,
Cum pexam barbam, tinctaq. menta uidet.
Integer inquit eris iudex de litibus ullis,
Si facis his fucum CECILIANE pilis?

AD. HIERONYMAM Columnam

DVm Venus Cyprio solo relicto
Vidit Threicios, Scythasq. saeuos
Mersos aequore, nauticas cohortes
Incensas, proceres, Ducesq. caesos,
Et hoc uiribus inclyti Columnae,
Adit Parthenopen, legitq. pulchram
Nympham, quam cito mittat ad Quiritem,
Vt grates referat Duci potenti
Suo nomine, & usq; gratuletur
Viro magnanimo, atq. glorioso,
Vt det oscula mille, detq. mille
Ore purpureo, udulo labello,



Dulces illecebras ferat, iocosq.
Amplexu Idalio petat, lacertis
Illum stringere centies laboret,
Vitae, & imperio bene auspicetur.
Id pulchre exequitur soror Columna,
Nympha pulchrior omnibus latinis,
Dulcis maxime, & omnium uenusta,
Olympi plaga cui patet corusci,
Quam Phoebus, charitesq. amant, coluntq.
In cuius gremio sedent amores.
Haec nobis fore cuncta pollicetur
Laeta, ad bella acuit Remi nepotes,
Per quos concidet impius tyrannus,
Homo futilis, ater, infidelis.
Nobis aurea regna, regna auita,
Nobis coccina, Persici tiarae,
Aurum, & aurea pocula, & pyropi,
Nobis conuenit esse purpuratis.
Infidum pereat, ferox, & atrox
Vbiq. undiq. & undequaq. monstrum.
Adnuit Dea procreata ponto,
Adnuit pater omnium deorum,
Ferantur sacra dona rite diuis,
Columna imperet, & columna regnet.

AD. TARQVINIVM Priscum.

Columnae lepidae poema feci,
Quod dixti mihi, Prisce, amate musis,



Quam qui maxime, & elegans, uenuste.
Sed mi nympha animam, atque cor reuellit,
Quam pulcher Ticinus tulit, colitq.
Quae magnae Hesperiae iubar perenne est,
Quae formosa satis, superq. uisa est,
Quae me cum uelit, alligat, capitq.
Non reti, atque adamantina catena,
Sed pulchro eloquio, sed ore pulchro,
Sed risu facili, leui, decoro.
Si parum salis est meis tabellis,
Si duri hendecasyllabi uidentur,
Morsu detere, spongia, atque lima.
Si placent minus, & minus probantur
Insulsae, inlepidissimae camoenae,
Dabis tardipedi Deo cremandas.

AD. PETRVM. VSIMBARDIVM

INter lautitias, domosq. regum
Petre, quando hodie mihi placebat
Disputatio, inambulatioq.
Tu mores nitidos, honestum, & aequum,
Cultumq. ingenium tuum, tuaeq.
Artes palladis, atque comitatem
Monstrasti lepida locutione.
Non placent tibi uerba prisca Fauni,
Antiquata aboriginum, Remiq.
Rancida, aut aboleta, uel retrusa,
Sed quae dicere Lesbiae Catullus,

Et cultus Nemesi solet Tibullus
Simplici, & facili latinitate,
Non dura, nimiumq. curiosa,
Qualis est hominum seueriorum,
Qui sunt difficiles, & herniosi.
Vt forum rediј incidere nobis
Gyraldus, Mariusq. amati amici,
Qui mihi referunt, quid imperarint
Ad bellum Veneti, ultimiq. Iberi,
Vt Thracum faciant pili phalanges.
At illos tamen inquiunt parare
Centum millia militum & trecenta,
Sed nos pro nihilo putamus illa,
Donec nos Deus adiuuat, precesq.
Nobis Pontificis fauent sacrati.
Foedus icere Caesarem, ferocem
Actam Pannoniam in Scythas, in Afros.
Quae si nunc mihi uera nunciantur,
Veh tibi Scytha, ueh tibi Africane.

IN FESTA DIE CHRISTI
Corporis.

EN *croceus totum detexit lucifer orbem,*
Per nitidum roseis aethera uectus equis.
Aspicite, ut uarios depingunt lilia campos,
Purpurea ut uiridis gramina pandit humus.
Vt uolucres liquidum concentibus aera mulcent,
Dantq. manu plausum Naiades, atq. Thetis.
Salue sancta dies, niueo redimite sacerdos
Sancte sinu, numeris ora resolue sacris.

Salue, qui nutu caeli moderaris habenas,
Salue uirgineo tu ſata uentre ſalus.
Salue triticei corpus ſub imagine panis,
Sanguis & aetherei myſtica dona poli.
Tu noſtram ut uelles uitam ſeruare, parentum
Abluere & labem, funera Chriſti ſubis.
Tu manes, tetrasq. domus loca nocte ſilentum,
Vmbrarum lucos, & phlegetonta petis.
Atq. Erebi tu clauſtra premis, dirasq. ſorores
Sternis, & in caelum morte recludis iter.
Mors haec lüctiferam mortem foecunda peremit,
Falcatae o mortis mors operoſa timor.
Plauditae mortales, crines compeſcite lauro,
Pallados & uireat fronde reuincta coma.
Mors etenim uicta eſt, uolitat uictoria praepes,
Alta triumphalis munera pompa refert.
Victoris ſpectate Dei miracula ciues,
Haeretis, num quid pectora dura rigent?
Propterea peccata uigent, uirtusq. receſſit,
Inualuit clades, regnat & omne nephas.
Nec trepidat mens caeca hominum, nec lumina caelo
Conſpecta horreſcit, nec fera bella timet.
Enſifer Orion media iam luce refulſit
Exitium minitans proelia, uincla, famem.
Vndiq. nos urget turpis Byzantius hoſtis,
Mille rates ornat, carbaſa mille parat.
In Latium hinc tendit gens impia, & indè fidelis,
Italici affectans regna beata ſoli.
Quare agite huc animos, huc aegras uertite mentes,

Terrenam è duro pellite corde luem.
Quare agite & ueniam prauis expoſcite factis
Dum uacat, & noſtris ore fauete ſacris.

AD. ALEXANDRVM. FRANciſchium. Romanum. Theologum

SI nil doctius eſt, profundiusq.
Eo, quod loqueris, referſq. mirum
Quid eſt ſi populum, patresq. ſummos
Ad cælum rapis, ac uocas ad aſtra?
Ille te eloquio beauit aureo
Et dedit tibi perſpicaciori
Mente noſcere cuncta liberator,
Cuncta cernere filius tonantis,
Quem ſtultus Pharius, Syruſq. ſpreuit,
Et rerum domina Vrbs colens recepit,
Amans ut magis in dies magisq.
Sanctarum uideatur eſſe legum,
Mores deſerere impios, nephandos.
Pro qua ſuſcipias nouos labores
Alexander, & undequaq. & uſq.
Impelle, & magis incita, & coerce,
Vt linquens Erebi aeneas catenas,
Tot caeleſtia dona conſequatur.

AD. ALOISIAM Rodulpham

ALoiſia, quae nitente flore
Aetatis, referas licet Cytheren,

Lapillis uaries sinus eois,
Ostrina & redeas puella ueste,
Vultus imperio tamen reliquit
Dignos Iuppiter, ingeniq. dotes
Pallas, & tibi cor Diana castum.
Queis surgis media inter has beatas
Arni, uel Tiberis potentis illas
Nymphas, quas colit orbis uniuersus.
Haec forma est solida, atq. pulchritudo,
Cum uirtute nitet, fide, & pudore.

AD. ANNIBALEM. CAPVAM

O Qui stemmate nobili, potensq. es
Lingua, & pectore, moribusq. legum
Doctrina, ingenioq. singulari.
Rebus impiger Annibal gerendis
Studes, officiosus adiuuare
Illum consilio, hunc & aere, sicq.
Aeternos tibi comparas honores,
Ob id te proceres amant, & inde
Eris Pontificis beatus ostro.

IN. CASTOREM. DVRANTEM

QVae stellis redimita caput, quae solis amictu
Induitur, puero quae fuit aucta Deo,
Carminibus celebrata nouis noua gloria partus
Astitit ingenio magne poeta tuo.
Effert se gelidis lymphis, uitreusq. superbit
Hinc Arnus, Sebethi emulus irrigui,

Durabit Durantis opus, dum Castora frater
Diliget, alternas ibit & ipse uias.

IN. TICINEN

LEgerit haec Ticine si carmina, carmina uiuent
Perpetuo, aspectu facta beata deae.

AD. FELICEM VRSI
nam Columnam

ES felix, Arabum ueluti titanius ales,
Dum nouus ipse suis surgit ab exequijs.
Et loca, purpureo tendens per inane uolatu,
Quaerit, ubi auricomo est ara dicata deo.
Certatim coeunt ex omni parte uolucres,
Ac roseam properant cernere Solis auem.
Vt uidere, stupent, mox dulci gutture cantus
Effundunt, placidos concelebrantq. choros,
Non secus egrederis magno miranda decore
Felici Felix conditione sata:
Non secus accurrunt mortales undiq. dotes
Ingenij, & formae qui bona rara colunt.
Ac te non uano felicem nomine dicunt,
Musarumq. tibi carmina cuncta dicant.

DE PAVLLO GHISLERIO

TVrcarum qui praeda fuit, dominoq. superbo
Seruiit, ac remex proscidit ære salum,
Imperat Aenedum Paullus Ghislerius Vrbi,
Sublimi uehitur conspiciendus equo.

Mox

Mox luit exilium Quincti non noxius ira,
Miles & in Belgas cogitur ire feros.
Fortunae documenta hominum, quam mobilis orbes
Sors rotet, & nulla stet violenta fide.

AD. POMPONIVM. TAVRELLVM.
Comitem. Montisclaruguli.

FElix castalij chori
Qui noscis sapiens abdita tot sacra,
Qui vulgi improba despicis
Facta, & quae Nemesis perdere nititur.
Solus pectore nobili,
(Olim quae nituit nobilitas patrum)
Virtutis studio flagras.
Nunc te Cecropiae prata uirentia
Delectant deae, & ignifer
Aether, quodq. domo splendet Olympica,
Nunc ipsos superos adis,
Delibasq. lacus nectaris aurei.
Si mars in miseram necem
Heu regis fureret, tu chalybem asperum,
Et tela hostica pelleres
Forti pectore, & armis adamantinis.
Nam Bellona tibi dedit
Heroum gerere & proelia fortium,
Nec non consilio, & manu
Demoliri aliorum opida, & aggeres,
Atq. Afros populantibus
Flammis conterere hinc, hinc scythicas rates.

O Felix animi bonis,
Felix o nimium pectoris artibus,
En virtus tua clarior
Fulgenti rutilat prole hyperionis.

AD. IO. FRANC. GAMBARAM
Cardinalem amplissimum

Castalio cessere Deae iam vertice, & Ascrae
Fontibus, Ogygio, Gorgoneoq. iugo,
Cum t rpi cepere dolo. belloq. rapaci
Graia pharetrati regna tenere Scythae.
Hinc chorus Aonius visit tua Gambara rura,
Quae Paphijs uernant, Oebalijsq. rosis.
In quibus emittunt annosae flumina quercus,
Et lymphis circum luxuriant querulis.
Sedibus his natae Iouis, his sublustibus vmbris
Exercent choreas, dulcia plectra mouent.
Est locus hic Phoebi, uiret hic Dodonia quercus,
Chaoniae hic volucres fatidico ore canunt,
Huc illa accessit, cui gemma Leontios indit
Nomen, quae gemma est lucidior nitida.
Quam blandae Charites, quam fouit docta Minerua,
Quamq. colit comptis Nais Oreadibus.
Illius ex uultu placidos nunc afflat amores,
Exurit casto nunc Ericina sinu.
Nunc te lacteolae, quae potant Tibridis undas,
Felicem nymphae, Martia Parma, uocant.
Tu decus Aonidum Vitali à sanguine claro
Eduxti gentis delicias Italae.

Tu dulces, hylaresq. iocos & roscida Tempe,
Ac saecli rutilo crine iubar nitidum.
Felices campi, siluae, riuiq. cadentes,
Queis datur Ardalidas cernere posse deas.
Spirantiq. croco, caltha, immortali amarantho,
Fouisse Ausoniam Pallada flaui comam.
Tu quoq. iam felix, si dictat Gambara versus
Illa tibi, celebrat si tua rura chelij.

AD. GALEACIVM
Viccecomitem.

O Quem nobilium propago auorum
Edidit Galeaci, & inter omnes
Nomine hoc celebres magis refulges,
Ponas funereo modum dolori,
Ponas lacrimulisq. questibusq.
Quid cura quateris graui hac, vel illa?
Affinem tenebris nigrantis Orci
Ne pressum timeas, Deum cupitam
Vitam viuere sed putes perennem.
Hunc nam relligio, fidesq. iuuit,
Hunc tritonia Pallas, Aequitasq.
Huic nil purpurea obfuit toga, huic nil
Pompae, fastigium, superbi honores.
Insubrum decus ergo, ne deorum
Damnes consilium, nec ipsa fata.
Mors namq. aggreditur suo ueneno
Catonemq. Numamq. Nestoremq.

IN. OBITVM. CAROLI. FRIDERICI. Cliuiae Principis

O Quem Relligio tam longas Carole terras
Incenditq. salutis amor quem visere templa
Clauigeri patris, solium, sceptrumq. uerendum,
Accipe quas celebrat tibi maxima Roma triũphos,
Queis nostrum lacrimarum imbrem solamur amarũ.
Tu sanctos inter mores, ritusq. sacrorum
Mente hauris sceleris quae prima piacula foedi,
Atq. pie lustras animam, releuansq. superno
Nectare, flammiferis actutum dirigis astris.
Hinc anima humanos artus, terrasq. Perosa,
Plena deo, celsum tantum meditatur olympum.
Pallet corpus hebes se se ne deserat hospes,
Ac queritur, tremulaq. illi sic voce profatur.
Vis mea cur properas naturae scindere munus,
Siccine dissoluis socialia foedera discors?
En per te obtusis ceciderunt viribus artus,
Caligant oculi, sensusq. pedesq. labascunt.
Sed contra melior pars, & caelestis origo,
Nil mortale mihi curae est, quod ab aetheris oris
Mittitur, excipiunt stellantia moenia rursum.
Nunc exuta malis, regi, qui condidit orbem,
Obsequor, aeterno coeli sic dignor honore.
Discedam, mihi namq. dedit contagio labem.
Tempus erit, quo te rursum circundabor ipsa.
Dixit, & astra super diffracto carcere tendit.

AD. GVLIELMVM. BASTONIVM. IN Semnum quendam cenſorium.

O qui dotibus es nobilis ingeni
Baſtoni, & volucris mentis acumine,
Prae cunctis ſequeris Praeſulibus fidem,
Muſarumq. faues choro.
Auſum dulciloquam frangere barbiton
Semnum, quem Ogygio uertice virgines
Damnarunt fatuum, perfidum, & improbum,
Illotaq. reum manu.
Noſtris eÿce tu fontibus integris,
Tu noſtris probibe numinibus ſacris,
Ac multo ut madidam ſanguine belluam
Ex caede, hinc procul arceas,
Nos circum Charites iungere brachia, &
Norunt innocuis pſallere amoribus,
Nos miſcent ſuperis Naiadum comae
Cantatae, Aonio iugo
Delectat choreas ducere amabiles,
Quas non poſteritas forſitan arguet,
Sed peſtem Tanaim mittet ad ultimum
Mordacem, & tetricam virum.

Epit. Cloeliae. Salomoniae

um fixis oculis, animo dum Cloelia vultus
Intuitur pictos Diuiparae, interÿt.
iuina, haud mirum eſt, ardenti mente tuentem
Si vult caelicolis reddere Virgo parem.

Aliud.

Ardenti Mariam dum pictam Cloelia mente
Contemplatur, humi corpus inane cadit.
Crediderat viuam: mens hinc compagibus artum
Exuta, heu terras liquit, & astra petit.

IN. LIGNVM. QVO. POENE. OPPRESsus est, Ad Iulium Gazellam

QVae, triste lignum, te posuit manus,
Vt praepedires Flaminiam uiam,
Petrum cruci fixit cruentae
Pontificem, secuitq. Paullum.
Plutona, lignum, saeuaq. tartara
Nutrisse, nec non crediderim arborem
Misisse Romanis sorores
Eumenidas, Barathrumq. nigrum.
Dira ut Quiritum pernicies foret,
Et mente rectos perderet, & uiros,
Qui victimas Diuis parare
Instituunt, precibusq. placant
Iram sacrati numinis: heu caput
Percussit illapsum, immeritum ut daret
Me poene morti, tunc leuasset
Omnipotens nisi Christus ictum.
Gazella, num tu dixeris, accidet
Quod cuiq. uita dum fruitur, poli
Num sidera, aut nobis perenni
Ordine quae statuere fata?
Secreta quamuis dij sapientiae

Te nosse donent, carmina Pythius
Dictet tibi, & plectro canoro
Fatidicam cytharam ministret.
Amice, uatum maxime quaerere
Conemur aequam sub domina leui,
Et temperatam mentem habere,
Sors etenim exagitat uel illos
Prudentia claros: pede lubrico
Incedit vnusquisq. suo gradu
Firmum nihil terris videmus,
Sed miseri sumus usq. & usq.

AD. LVDOVICVM
Caesium

CAesi, pro superum fidem,
Amissa heu gemimus maenia Caesaris,
Et molem libyci soli
Vastauit rabies barbara, & aggeres?
Turca heu perfidus imperat,
Perfoditq. virum pectora fortium?
Hispane ah miser, ah miser,
Quod tanto est tepido sanguine militum
Quaesitum male protegis?
Sic heu perniciem proruis in tuam?
En Circum Numidae, en Scythae
Proscindunt tumidum classibus Adriam,
Per fluctus Balearicos
Bacchari incipient bellico acinace,
Atq. omnes prope saeuient

Per latos populos ira Acherontica.
Quod si vos nihil excitat
Reges, Relligio, nec pietas mouet,
Cernetis miserabili
Subdi cuncta iugo barbarica manu,
Nec tristes querimoniae
Post, nec proficient lacrimae, inutile
Aurum, Consiliumq. erit.
Tu spectas oculis, qui mala lynceis,
CAESI, & saeua pericula
Haec mecum repetis, uota deo face,
Classes perdat ut impias,
Aeratas acies frangat & hostium.

AD. PETRVM. MILVIENSEM

PVeri malum lyaeum
Tibi semper ingerebant,
Vt anhela febris artus
Calidos statim occuparit.
Fatui, merum insuaue
Fore lethum amarum, & ipsam
Animam tuis medullis,
Vbi suaue, non uidentes.
Cape docte Miluiensis
Cyathos boni lyaei,
Bromium patrem celebra,
Bromium uoca frequenter,
Age docte Miluiensis

Cythara sonante potes,
Neque saeua dissipabis
Stomacho secus venena.

AD. POMPONIVM. TAVRELLVM
Comitem Montisclaruguli

DIc dea, laudandus qua sit Pomponius arte,
Flos procerum, Phoebi gloria, Martis honor.
Sic ego, sic mihi Musa: illum magis usq. rogato,
Vt nos ingenio Pieridas doceat.

AD. RAINALDVM. CORSVM
de Manfredo.

QVi Simul & vult miles, amator, & esse poeta,
Manfredus, triplici Corse furore furit.

DE. TRIGINTA. AMORIS
Vitiis

QVi uitia insani ter dena cupidinis optat
Noscere, vt effugiat, carmina pauca legat.
Huic non candor inest, sed totos occupat artus
Pallor, & est oculis, menteq. captus Amor.
Aliger incostans, saeuus, rixaeq. minister
Sanguineae, iratum nullaq. frena domant.
Corpora nudatus, fallaci uestit amictu
Corda, puer vincit subdolus ipse senes.
Imbellis foede, hospitii violator amici,
Et quam promittit, non habet, ille fidem.
Incedit summis pedibus fur improbus, exlex,

Raptor, & incestus, sacrilegusq. uorax.
Seducit blandis uerbis, nec vera fatetur,
Dulcibus in labris quid nisi virus habet?
Non pudor, audaci nulla est reuerentia fronti,
Sunt lusus astus, insidiaeq. ioci.
Est breuis huic arcus, breuis & lethalis arundo,
Hinc impulsa tamen sidera ad alta uolat.
Quamq. iacit dextra, molles est flamma medullas,
Qua petitur mulier, vir, puer, atq. senex
Heu miser immanis patrat qui iussa tiranni,
Et sequitur caeci signa superba ducis.

In vrbem Romam

Vrbem Democritus, si Naracletusq. viderent,
Rideret magis hic, fleret & ille magis.
Asi ego sum anceps, cernens quos perditq. beatq.
An risu, an lacrimis dignior ipsa foret.

In Fuscum

Vt deflent Thraces cum primum nascitur infans,
Maxima percipiunt gaudia; dum rapitur.
Sic tu Fusce doles, si detur uita clienti;
Gaudes cum possis frangere reste gulam.

AD. ANTONIVM. LEGNANVM
Xluirum Bononiensem.

HInc premit importuna lues, hinc tabida pestis
Sicaniam, & Melitae Thrax fera bella mouet.

Discordes Ligures inter se praelia miscent,
Atq. furit passim perniciosa fames,
Hinc trepidant omnes, tibi pectus inesse Catonis
Dicunt, & nullo corda timere malo.
Antoni, haec animi uera est sapientia, namq.
Bella, fames, pestis, crimina sunt populi.

AD. MARIVM. CASALEM

MIttam Castalidos tibi parenti
Incultos, laceros meos libellos
Asperis salebris ineptiores?
Illi non Amathuntaq. Eriosq.
Nec videre Heliconidas sorores,
Hinc parum lepidi, & parum uenusti
Videntur, male tersi, & elegantes.
Dices, Pythagoras, Platoq. magnus
Aegyptum penetrauit, & remotas
Partes, ut Sophiam pararet omnem.
Verum, sed domino iubente nullo,
Parebant sibi, nunc mihi negatum,
Noctes qui miser eiulo diesq.
Cum nullos adeam disertiores.
Qui noctesq. tero diesq. totos,
Scribens millia multa litterarum,
Quae negocia sunt seueriora:
Vrge tu iuga montium comata,
Tu siluas trahe, tu rapacitatem
Siste fluminum, & incita, Casalis,

Iam mentes hominum peritiorum.
Nos uappae sumus, & pusillo honore
Contenti. Aonides caput corollis
Incingunt tibi, gloriaeq. Phoebus
Acquirit numeris perennitatem.

IN. OBITVM. CVIVSDAM
Priuigni

ADdebat tumulo priuignus serta nouercae,
Cum lapis in miserum decidit inde caput.
Discite uos, scripta est his uerbis urna, Nouercam
Viuam, atq. extinctam diffugere ò pueri.

AD. LIVIAM. BECCARIAM
Spairanam.

LIuia, si rutili uernantia Lilia uultus,
Oreq. ridenti quae creat arma Venus,
Liuia, si teneris corallia nata labellis,
Turgidulaq alpina pectora sparsa niue,
Nec non phoebeas superantia lumina flammas,
Quaeq. tibi flauet uertice odora coma,
Incendunt, capiunt, feriunt, iuuenesq. senesq.
Dictaeumq. ualent sollicitare Iouem.
Quid uero ingenium, quid copia lactea fandi,
Castaliumq. tuo quod fluit ore melos,
Quid morum probitas, & mens vel Pallade digna,
Intemerata fides, ingenuusq. pudor,
Quid pietas, & laudis amor, quid mascula uirtus,
Formae iuncta tuae tot bona uera animi?

Decipitur quisquis mortalem te Dea credit,
Serius ò utinam sidera clara petas.

IN. OBITVM. M. ANTONII
Bobbae Cardinalis

TV quicunq: sacram uates accedis ad urnam,
Nulla hic effingas carmina, Bobba iacet.
Mnemosynes Helicona deae, Phoebusq. reliquit,
Occupat hos luctus, funereusq. dolor.
Carminis extincta est penitus iam gloria; non sunt
Haec quoq. quae scribo carmina, sed lacrymae,

AD. HIERONYMVM. REYNOSVM
De Leonora Sanuitali Scandiani domina

QVod rutilans prodire domo Leonora recusat;
Vincere Acidaliam nata puella deam.
Quae tenebras oculis pellit, lucemq. ministrat,
Inclyte mirari, ne Reynose uelis.
Nam radians terrae latebris caelatur & aurum,
Et nitidas gemmas aequoris ima tegunt.

N. DISCESSV. LIVIAE. BECCARIAE
quam Ticicen vocat.

DIscessum Ticines, lacrimis consolor amaris,
Fletus et est risu dulcior ille mihi.
c Lachesis uitae producit stamina, moestis
Quis putet? Exiliunt gaudia mi ex oculis.
nc Venus orta mari est, ferus hinc humana Cupido
Pectora habet; dulcis quid nisi amaror Amor?

IN. ADAMANTEM

DVra es, quae repeto non te suspiria vincunt,
Nec mouet è nostro stridula flamma rogo.
Percutiat pectus quamuis, ut Mulciber aera,
Spiculaq: è nostro sanguine tingat Amor,
Dura es, quoq. Adamas fias vertentibus annis
Durior imponis nomina dura tibi.
Si flammis Adamas, si non incude domatur,
Indignum, sparso sanguine conteritur.

AD. LIVIAM. BECCARIAM
de eius nomine

LIuia es, aut nullo quod tu liuore notaris,
Aut tibi quod nullum carpitur ingenium.
Sic dixere olim uiolam, bellumq. latini,
Liuia sic candens liuida cuncta domas.
Rara bonis animi, naturae dotibus aucta
Liuia es, inuidiae quod facis inuidiam,

Aliud

Candidulo vincis quod pectore Lilia, quodq.
Rubra tuis misces Lilia Liliolis,
Ipse parum conuerto notas O Liuia, dici
Lilia sola potes, Liuia iure potes.
Hoc uariant: pereunt cito Lilia, Liuia in ipsa
Perpetuo terris L I lia V I u A manent.

DE. LIVIA. BECCARIA

IVno oculis, Venus ore nitet, Diana capillis,
Flora genis, Pallas pectore, fronte Themis.
Corpore sex habet una Deas sed Liuia, splendet
Pectore, fronte, oculis, crinibus, ore, genis.

AD. IO. BAPTISTAM BIGLIAM Comitem.

NOn me Biglia iuuat Troiano sanguine tinctam
Tellurem, lapithas, terrigenasq. feros
Dicere, nec picti causas exquirere, Olympi,
Cur aether liquidus, fusilis, atq. leuis.
Cur pelagus glaucum, patuli cur pondera mundi,
Cur fortuna ioco uertat acerba uices.
Sint Alcmeoniae furiae, sit flamma Chimerae,
Qua lateant Erebi pallida tecta ducis.
Sed te fert animus nostris intexere chartis,
Te, quem Pallas amat, Pieridumq. chorus.
Insubrum tulit heroum te clara propago,
Praesidium gentis, lumen & Ausoniae.
Calliope nutrit, Phoebus donauit & artes,
Illius, & laudes, & decus huius ades.
Iura patrum, legesq. graues, monumentaq. uoluis
Queis regere imperio regna superba queas.
Hinc te Roma colit, nec non tibi vellera succo
Inficiet, mittit quem preciosa Tyros.
Tunc me Pierio referentem uertice laudes
Aspicies nymphis caerule Tibri tuis.

Nunc me fata premunt, piceis turbata procellis
Iactatur rapidis nunc mea uita notis.
Nusquam parta quies, hic me non mollia prata,
Non recreant paphijs mista ligustra rosis.
Montani fontes, colles, siluaeq. uirentes
Tartarei regis sunt loca tetra mihi.
Nec quas pallentes uiolas, quae lilia carpat,
Villica spectatur, vt ferat in calatis.
Auritosq. sequi lepores, capreasq. fugaces,
Vulpibus hirsutis non posuisse plagas.
Nec iuuat arguto uolucris me daulias ore,
Nil me threicijs docta chelys fidibus.
Sola mihi ante oculos Ticines uersatur imago,
Quae cura est fidi pectoris una mei.
Illa mihi aeterni flores, aeterna uireta,
Et nymphae, & siluis Delia casta mihi.
O vtinam pulchris Ticine praelata puellis
Adforet, afflicti grata quies animi.
Quercus, & cautes animans, Dircaeus ego alter
Dicerer, Odrysius, Mæonidesue senex.
Namq. genas canerem roseas, roseasq. papillas,
Oraq. conspicuum dulcis & oris ebur.
Et Bereniceae diuinos frontis honores,
Luminaq. ardentes sidera nostra faces.
Cantanti Pan ipse aderit, Zephyriq. marita,
Siluani, & fauni, ruricolaeq. deae.
Imponam capiti pictas tunc flore coronas,
Atq. choros nectam, blanditiasq. leues.
Atq. hilaris dicam ualeat praeclara triumphis

Roma, mihi Ticine pulchra triumphus erit,

AD. DIVAM. VIRGINEM MARIAM

Virgo mihi faue, dum
Cantare tento laudes,
Tuumq. uirginale
Decus, iubar perenne.
Tu sponsa, tu fuisti
Gnata, & parens tonantis,
Regina siderumq. es,
Puerperis iuuamen.
Tu duxq. proelianti,
Tu nauitisq. sidus;
Dirum premis colubrum,
Morbos graues, famemq.
Auertis omne uirus.
Penna secas uolucri
Hinc aetherem supremum,
Te vt mors momorderit nil.
Luce obruor tua, ecce
Mihi pedes labascunt,
Testudo nil sonare
Scit, nostra lingua torpet,
Tantum precabor alma
Mater, salus piorum,
Turca ut ferus recedat,
Mitescat hostis atrox.

Et mitigetur ira,
Deiq. Filijq.
Satis satis misellis
Pressi sumus flagellis.
In hos, in hos furorem
Conuerte iusta Iesu,
Qui negligunt salutem,
Spernunt tuumq. nomen.
Nos te patrem fatemur,
Nostrumq. conditorem,
Iam Christe redde pacem,
Propter crucem cruentam,
Propter tuam parentem,
Quae pulchra lustrat orbem,
Quam nos ueremur omnes.

AD. ALPHONSVM. BECCARIAM Comitem.

INclyta si uirtus, Alphonse, expersq. sepulcri
Te caelo venisse probat, si numine diuum
Afflatus reuocas Ascra, Cyrrhaq. sorores,
Cur tibi non coner meritas componere laudes?
Nexilibusq. tibi crines redimire coronis?
Te canit Insubrum, tollitq. ad sidera nomen
Docta cohors, laeto fundunt tibi gaudia uultu
Nymphae, lucidulo Ticini quae flumine ludunt,
Ac tibi Pyrene rutilantibus assonat vndis.
Tu iura imperio tribuis, rerumq. latentes
Tu caussas aperis, caeli conuexa penetras,

Te

Te non inuasit furor exitialis habendi,
Non ira, ferroq. agitat discordia demens,
Horaq. non multis exacta tridentibus, omne
Despicis ignauum caput, atq. ignobile uulgus.
Diffracto per te fugiunt examine curae,
Quae lacerant auidas mentes, furtimq. fatigant
Tu non Assyrio fucatas murice uestes,
Numquam Phaeacum curasti ditia rura,
Tecta nec e gemmis, rutiloq. extructa pyropo,
Vt uirtus linquenda foret; qua uincis honores
Priscorum, tua non capiunt sub stegmate facta.
O decus, Alphonse, eximium patriaeq. domusq.
Eoi iam iam discent tua nomina Seres,
Euphrates, Rhodanusq. colent, & diues Iberus.

In H. Leonem

CVm tibi candidior niue sit, folioq. ligustri
Barba, puellarum captus amore Leo es,
Cum tibi nec dentes, nec sint in corpore uires,
Pesq. labet, tentes lumine laesus iter,
Perdite amas: an quod natum finxere Cytheres
Captum oculis, & sit bis puer ipse senex?

IN. ZOILVM. QVENDAM

Ticines Amatorem

ZOilus ut Ticines formam conspexit, amore
Victus ait, Venus est altera lapsa polo,
Lacteolasq. genas huic dulcis purpura tinxit,
Molliculo ludit pectore blandus amor,

Moris & antiqui lectissima, clara pudore,
Res mira est, si quod Zoilus odit, amat.

In Epistolam Ticines

CVm Ticines, celeri, mihi uenit epistola, penna,
Sol micuit clara lampade candidior.
Et cantus philomela dedit, uarioq. coronas
Flore comae nexit uer Zephyris placidum.
Dulcia nectareo conscripsit uerba liquore,
Nam Venus, atq. Charis littera quaeq. fuit.
Littera quaeq. fuit melliti cuspis amoris,
Tentaq. quot uersus retia cara mihi,
Retia, queis Phoebus uellet deus ipse ligari,
Et nymphae cursum linquere thessalidos.
Talia si Aeolijs fabricasset Mulciber oris,
Vinciri optassent retibus his superi.

IN. ACHILEM. MEDICVM

Discite, quàm praestet greco romanus Achilles,
Enecat hic herbis, ensibus ille necat.

IN. MERETRICEM. ODIO. SVÆ imaginis mortuam

MAne toro surgens, speculum dum vidit Hiella,
Interijt, miseram perdit imago sui:
Nam faciem cupidus noctu dtersit adulter,
Quam meretrix fuco longius occulerat.

DE IOFREDO. LOMELINO

FAcundos inter proceres Lomelinus honore
Eminet, ingenio nobilis, & sophia.
Hispanos, Gallos, Thuscos, Graecosq. Latinos,
Germanos linguis aequat, & acta refert.
Nouit quoq. die quid totus cogitet orbis,
Quid reges agitent: Mercurio id satis est.

IN. ROGERIVM. MEDICVM

Omnibus è medicis, si littera prima Rogeri
In medico fiet tertia, primus eris.

AD. MARIVM. ALTERIVM
de studio iurisperitorum.

LEgibus insudant socij noctesq. diesq.
Nil praeter leges discere discupiunt.
Istos docte Mari meiari desine, namq.
Non est hoc libris, sed studuisse lucro.

IN. CANEM. M. ATTILII
Serrani.

DIscite Serrani canis immortale Molossi
Factum, qui nullis pestis acerba feris.
Hispanos tantum lacerabat dentibus, an quod
Hostes hi domini, damna, & ouilis erant?
Verius an, pecoris cum custos esset opimi
Hispanos didicit laedere carniuoros?

IN. LIVIAM. CAPRANICAM
Bonellam

IPsa suos cuperet si Cypria cernere uultus,
Adspiceret faciem Liuia pulchra tuam.

IN. TICINEN. SPECVLVM
Abicientem

Abiecit speculum Ticine fulgore coruscans,
Atq. inquit roseo flore genas nitida,
Se spectet quae tempus edax timet, illaq. vultus
Mentita est fuco, disposuitq. comam,
Solius Veneris lasciuae munera: Pallas
Namq. mihi semper iure colenda fuit.
Quae patris inuicti tantum de uertice nata est
Vertice, quo tellus, astra, fretumq. tremunt.

IN. OBITVM. HIERONYMI
Mucij Iustinopolitani.

MVci, qui uarii condis monumenta duelli,
Atq. geris docta proelia iusta manu,
Vicisti momos, Christi saeuosq. rebelles,
Vicisti lepido carmine Maeoniden.
Nunc te mortifero non uicit parca duello,
Viuit enim ingenij gloria, uiuit honor.

AD. HERCVLEM. CIOFANVM. SVL
monensem de emendationib. in Metha
morphosin Ouidii

TE quoq. mutarunt superi, post tempora longa,
Peligni in faciem uatis alumne nouam,

Ciofane, & hinc doctos uersus, lepidosq. refundis,
Illius hinc Suada dicta probante refers.
Nasutusq. tui Nasonis menda libellis
Aufers, & nasos rumpis, & inuidiam.

In obitum Rhoesi Caesij.

Dum tibi florebat Caesi pretiosior aetas,
Viuereq. optabas coniugis in gremio,
Heu digitis filum Lachesis perscindit ahenis
Et tibi composuit pro thalamo tumulum.

In Carolum

Quam bene te totum depicta ostendit imago,
Mores, & gestus exprimit ista tuos.
Caesius es, nec non haec caesia, toruaq. frons huic,
Torua tibi, hirsuta est nec tibi barba minus,
Turgidus huic uenter, tibi turgidus, et caput, et crus,
Nullaq. mens huic est, Carole, nulla tibi.

IN. CONSTANTIAM. SFORTIAM

Boncompagniam.

AEtherei dulces venienti in luminis oras
Cum primum nituit stella benigna tibi,
Perfudit myrrha roseos aurora capillos,
Malarumq. Venus murice tinxit ebur,
Flammantes tribuit Phoebus duo sidera ocellos,
Nectareo Pallas uerba lepore dedit.
Iuno decus, clarumq. genus, clarosq. Hymenaeos,
Queis ducit festos Roma superba dies.

Roma dies per te constantia cernere laetos
Sperat, & hinc Tibris munera laeta tulit.
Fortunata nimis, tanto cui tibris honore
Surgit, & imperij dat tibi sceptra sui.

AD. TICINEN: VT RVRA TIBVRtia Hippolyti Cardinalis uideat.

O Pulchrae Cypridos Ticine sortita figuram
Flecte age ad irrigui flumina fontis iter.
Hic molles ludunt Zephyri, uiolaeq. rubentes
Margine odorato, liliaq. alba uirent.
Flexipedes hederae florent, myrtusq. Diones,
Arte noua pictae dulce queruntur aues,
Aerata hic resonant uolucrum per guttura lymphae
Perpetuo, choreas concelebrantq. leues
Quid rides? nosti manibus fabricata Perilli
Aera, quod ars quondam daedala finxit opus?
Siste gradum, Hippolyto te principe digna iuuabunt,
Perq. fluunt melicae fertile Tibur aquae.


IN. OBITVM. MARGARITÆ. Valesiæ Taurinorum, subalpinorumq. dominae.

S Ole satum Phaetonta diu fleuere sorores,
Quo uagus Eridanus uoluitur auctus aquis.
Heu Valesia obit sed cum Taurinia, nostris
Aureus afflictis sol data temporibus,
In lacrimas omnes uersae per flumina Nymphae
Erumpunt, querulis praecipitantq. uadis.

Aerius Vesulus labentibus insilit undis,
Ac miscent terras diluuio superi.
Quid mirum, sole extincto uirtutis, amaras
Nunc quoq. si caelum uertitur in lacrimas?

AD. HIERONYMVM. MOLLEM.

Mollis, qui in media es senex iuuenta,
Numquam mollitiæ fluis, sed usq.
Durus in scelus, ut stat alta cautes,
Quam circum boreas fremit, notusq.
Idem deliciae, lepos, uoluptas
Es Musae latiaeq. Achaiceq.
Nobis omnia Phoebus abnegauit,
Atq. haec aulica secta garrulorum
Et mentem mihi turbat, & Camoenas.
Non heroa sinit tuum, meumq.
Laudibus cecinisse, nec phaleucos,
Quos mihi facilis Thalia dictat,
Amplius recolo. Fluens, decorum,
Tu carmen facias scitum, uenustum,
Aptum, perspicuum, celebre, acutum,
Quod sit Thespiadum choro locandum,
Vt surgant Charites tibi. haeq. & illae
Cingant tempora laureis coronis.



I. HIERONYMI CATENAE POEMATVM

Liber Secundus

AD. ZACHARIAM. DELPHINIVM Cardinalem Amplissimum.

DElphini, tenerae iocos Thaliae,
Quos tibi faciles q. simplicesq.
Dico, nil cilio abnuas superbo.
Nam te Pierides colunt sorores,
Ac ducūt choreas tibi obsequētes.
Et quāuis grauitas tuae Mineruae
Ipsis Sulpicijs, Catonibusq.
Non cedat, tamen eruditiorū est,
Relicto studio seueriore,
Interdum leuibus modis iocari.

IN. IVLIVM. CÆSAREM Gonsagam

PAllentes animas humana in corpora rursus
Priscorum constans fama redire canit.

Cerni etenim persaepe datum est, sed pectore in uno
Posse simul binas uiuere, nulla fides.
En datur hoc oculis nostris, nam Tullius alta
Gonsagae pariter mente, Maroq. uiget.
Hinc tonat huic nulla eloquium superabile lingua,
Carmina & hinc charitum tincta lepore fluunt.

AD. ALDVM. MANVTIVM
Paulli F

QVi colis excelso Cyllenes uertice natum
ALDE, cothurnatis cognite uirginibus.
Obruta diuersis feralia busta ruinis
Inquire, & rigido marmora uicta situ.
Vt doceas, quae sint monumenta insignia, quoue
Scribere nos deceat uerba latina modo.
Multa quidem tibi nos, Manes sed plura silentes
Debebunt, quorum nomina clara facis.
Gratius hoc igitur. uitam nam culta perennem
Marmora quam nequeunt, his tua scripta dabunt.

AD. MAXIMILIANVM
II. ROM. IMP.

DAnubius postquam Turcarum barbara uidit
Tot iam castra suum perdomitura solum,
Te uocat inuictum germano milite, Caesar,
Auxilium ut trepidis rebus, opemq. feras.
Accurris subito, uiresq. opponis, & hostes
Diceris inuicta fundere saepe manu.
Atque ita bella geris, sic tractas cominus, ut Rex

Perculſus foedo corda timore cadat.
Orbem terrarum iactent ſe uincere, dum ſit
Orbis uictores exuperare, tuum.

AD. POMPEIVM. ROCCHIVM

SI quod Fabricij petunt, Numaeq.
Triſtes, & lacrimoſuli Heracliti,
Pompei, meditaris, & lepores,
Et iocos fugias mei libelli.
Si tamen cupis ocio ſupinas
Honeſto fugere oſcitationes,
His manum potes admouere nugis.
Non quero hic homines ſeueriores,
Naſos Rhinocerotum ineptiorum,
Aut uoces petulantium profanas,
Sed uiros nitidosq. ſimplicesq.
Qualem te Aonides fouent puellae
Ridentem, placidum, benignum, amicum.
Cura pectora adurit, enecatq.
Seueri cito concidunt Catones.

AD. HIPPOLYTVM. ESTENSEM

Cardinalem Ampliſsimum

CAndida per pictos ſurgunt tibi lilia campos,
Et mollis uiridi gramine ridet humus.
Ver tibi blanditur laetum violisq. roſiſq.
Tecta, Pater, cum te Romula adire videt.
Sacra vbi ſi dabitur rerum tibi ſumma poteſtas,
Ver erit Hippolyto Principe perpetuum.

AD. VIRGINIAM

CEssit hyems, mea uita, noti cessere, & hirundo
Memphitis uiridi palmite dulce canit.
Atque auro Philomela leues interlita pennas
Arguto roseum conuocat ore diem.
Virginia hunc adeas foetum bene frugibus agrum,
Gaudet vbi festos ducere verna choros.
Nec placidam tu sperne Palen, dulcemq. Melissam,
Ipsa subit tuguri tegmina saepe Venus.
Et nouisse potes Phrygiae quàm uallibus Idae
Pastore est cypridos forma probata deae.

AD. RAINALDVM. CORSVM
De Ritio Merulo

NOn hic Aegeriae deae per antra,
Per lucos simul at specumq. opacum,
Congressus, Rhadamanton, Aeaconue,
Nec quos fingere Iudices uetustas
Somniat, criticosq. saeuientes,
Immitis neque dogma fert Tyranni,
Sed ut sciscere curat Imperator
Quae probi statuere, quae diserti
Viri, his adnotat aureis libellis,
Quibus pallidulos reos clientes
Arment, hinc uigeant, & inde fasces
Immo è siderea uolauit arce
Hic tuus Merulus, Iouisq. mentem
Scrutatus, Ioue digna Corse promit.

AD. CHERARDVM. SPINAM
De Liuia Beccaria Spairana

SPina, cui auricomae rosae uirescunt,
Cui rident veneresq. Gratiaeq.
Quaeso uersiculos mihi remittas,
Queis Nymphae Ticini celebro ocellos,
Frontem, purpureas genas, sinumq.
Capillum refugum, aureum, fluentem,
Melos ambrosii oris, atque nectar,
Oris delicias, & elegantis
Maiestatem animi, ingeniq. dotes.
Verba haec me perimunt, necant, perurunt,
Heu nunc sidera questibus fatigo,
Heu duplo perco, ecce cor praeustum.
Mitte candide Spina codicillos,
Spina candide mitte codicillos.
Sic fas sit mihi te uereri, amare,
Sic latonigena, & nouem sorores
Semper te foueant, ament, coronent.

AD. HERAM

ASpice, ut ad dulcem fluuium crepitãtibus undis
Pastores calamis humida labra terant.
Aspice vbi, Nymphae properent agitare choreas,
Mox placidis umbris corpora fessa leuent.
Huc propera mea uita, solo florente recumbe,
Ex uiridi Zephyrum tegmine carpe leuem,

Me fugis? ingratum ſemper ſectaris Amyntam?
Hunc quoque num fugies, ſi te Hera amare velit?

AD. ANT. MARIAM.
Saluiatum

CVm me diſcrucient modis malignis
Quot ſunt nunc Tityiq. Tantaliq.
Quid mirum, mihi, docte Saluiate,
Si tam diſpliceat videre cyrrham?
Et Phoebus Pater, & nouem ſorores
Toto ſi mage pectore abdicantur?
Non haec ſecula ſunt canenda Muſis,
Culta uel ſtrigibusq. cerberoq.
Vna ſpes reliqua eſt tamen miſello,
Si tandem meritis, tuaeq. magnae
Virtuti tribuantur ulli honores.
Tunc Phoebus cytharam dabit canoram,
Tunc magnus mihi cedet ille Arion,
Sed hac re tibi quando gratulabor?
Hoc morans miſer interim ſeneſco.

DE. FRANC. PACIOTTO
Architecto

CVm fuerit tutus ſupera uix Iuppiter arce,
Et uexata olim pallentia tartara Ditis,
Neptuni liquidum preſtetur claſſibus aequor,
(Tam caeca humanis audacia mentibus haeret)
Haec tria Franciſcus nunc regna coegit in unum,
Vt validæ tutis ſeruentur maenibus Vrbes,
Turrigerasq.

Turrigerasq. feris tueamur ab hostibus arces.
Nam rapidi uelox imitatur fulmen olympi,
Fulmen, quo perijt merito Titania pubes.
Nam docet, ut melius dirum iaciatur in hostem,
Quaq. uetet ratione aditus, qua parte locandum,
Armati ut densum feriamus turribus agmen.
Terreo & excelsi cingantur ut aggere muri,
Coctilibusq. nouus cingatur moenibus agger.
Vtque cauam deceat muris deducere fossam,
Quoue loco solidum melius sit condere vallum.
Atque pigram multo tellurem verbere densat.
Nam docet, exemplo Ditis, quae pandat hiatus
Terrificos caecis tellus adoperta cauernis,
Atque ut in incautos uiuacia sulphura mittat.
Atque modo lateant quo spiramenta notauit.
Mostrat, deductis uallentur ut opida lymphis.
Et quos Ennosigaeus aquis penetrare recessus
Discat, & ut dulces posint manare liquores.
Hac Francisce tua mansisset Pergamon arte,
Hac Thebe nullo iacuisset diruta bello.

AD. CAMILLVM

Siccum.

Scortorum fugies conclaue, Hortensia tecta,
Si cupis Aoniam tangere Sicche lyram.
Illorum est amor aucupium: sunt fistula uerba,
Rete manus, cassis pectora, forma doli.
Subiecta norunt iuuenes exurere flamma,
Fortunae cunctis expoliare bonis.

Nulla fides certa est, te saepe iniuria uersat,
Te premit impatiens, sollicitusq. dolor.
Dum pubent anni, dum florida uiuitur aetas,
Ornat & integram pulchra iuuenta comam,
Te capiant doctae tribuunt quae maxima Athenae
Munera, praeclaro consule & ingenio.

AD. ANGELVM. BVBALVM

Angele, cui Alcinoi uernant, et Adonidis horti,
Flora ubi odoratos explicat alma sinus.
Ac labyrintheis gemmata est flexibus herba,
Arbor ubi irriguas alta coronat aquas,
Quid sparsi huc crines, doceas, fontiq. uirescant,
Cur strepitet querulo murmure riuus aquae.
An ne premit spreti Aonias iniuria fontis,
Quod Pimpla hoc perijt tempore, & omne decus.
An quia nunc Venerem caedant, placidasq. puellas,
Hac lacrimas fundunt, scindit & illa comas.

EPIT. BENEDICTI. SORANSI Veneti.

Vm classe, atque animo ualet Soransus,
Praestans ciuis, & impigri, boniq.
In Deum officium, scythasq. saeuos
Mergit aequore, perforat carinas,
Ac postquam sibi vendicauit ingens
Decus militiae laboriosum,
Concidit Nomadum furore iniquo.

O felicia fata. Ter beatus,
Qui potest patriae mori, Deoq.

DE. ATALANTA. SAMNIA Senensi.

SAmnia cum fatuo, sed diuite nupta marito
Aurea laeta adijt commoda coniugij.
Mox opibus fluxis, sumpsit uelamina pulla,
Flebilis ad patrios it uiduata lares.
Miranti turbata uiri sic iura parenti
Aurum heu iam perijt cui data dixit, eram.

DE. VVLCANO. ET. MARTE

MVlciber impauidum fertur petijsse Gradiuum,
Vidit vbi in Cyprum bella cruenta geri.
Nunc inquit Veneris certus diceris amicus,
Si uis in Turcas uertere tela truces.
Mars cui, Threicijs tu retia tende dolosa,
Vtque mali cupiunt Cyprida inire; cape.
Tunc accire Deos poteris, sed Mulciber illi,
Nunc opus armata, non mihi rete, rate est.

AD. ALFONSVM

ALfonse, audaces traiecto classe profundo
Praedari Turcae Cypria regna parant.
Amplius haud opus est belli simulacra ciere,
Percutere & ualida pectora amica manu.

Sed Christus populi salusq. spesq.
Hunc poenas Geticum reposcet hostem.
Paulle tu quoq. iam ualeto belle,
Vrbano interea ocio fruare,
Te Phirne horridulis tegat papillis.

AD. EVRYNOMEN

SI tua sunt niueum uincentia membra ligustrum,
Eurynome, & Paphiae uerna labella rosae;
Delicias affer, florentiq. utere forma,
Et quae surripiant me mihi labra dato.
Vt rosa namq. perit teneris sua forma puellis,
Et citius mammas, oraq. mordet hyems.
Crede mihi, si tarda uenis, uitabere, nullus
Accipiet, quos fert horrida bruma uepres.

AD. POSTVMVM. SERTORIVM

SPlendida dum patuli scrutaris lumina mundi,
Illaq. quis princeps, qua regat arte Deus:
Spernis ut ignarum naturae fronte superba
Paullum, qui superum non nisi templa colat.
Falleris, huic longe si sic excellere credis,
Tu scrutare Deum Postume, Paullus amat.

AD. NISAM. DAPHNIS

R*Vra colas, mea uita, nouos iungamus amores,*
Rure dabit nobis gaudia mille Venus.

Nunc omnes linquunt vrbes, nunc migrat in agros
Turba puellarum, uillula quemq. iuuat.
Quemq. iuuat rapidos aestus vitare sub umbra
Arboris, & dulci tingere labra mero.
Atq. suo flauam cereri de rure coronam
Nectere, & agricolae ponere poma deo.
Nos quae miscentur liquefacta coagula lacte
Sumemus, nos quae mella ministrat apis.
Vna carpemus melimela, Cydonia, & una
Persica, tum facili lutea pruna manu.
Nos iuuet aerias visco captare uolucres,
Nos iuuet errantes fallere & arte feras.
Tu strophio impedies intortum sedula crinem,
Sedula odoratis candida colla rosis.
Ac tibi proiectae florenti in gramine ripae
Paullatim somnus lumina uicta premet.
Tunc ego te spargam flore, & beneolentibus herbis;
Excipiamq. animam cernuus ore tuam.
Tunc ego languidulos quaeram iunxisse sopores
Tecum, substernens pectora pectoribus.
Sed iam quid cessas, quid spernis commoda ruris
Nisa? quid, ab vrbes, altaq. tecta placent?
O ualeant urbes, & tinctae murice lanae,
Deficiant aulae, mormoreaq. domus.
Rura deae coluere, boues & pauit Apollo,
Atq. humiles subijt Iuppiter ipse casas.
O redeant prisci mores, ò tempora, fossa
Cum cinxit miseris opida nulla uiris.
Cum non insidiae, non bellum diuitis auri

Caeperat humanum follicitare genus.
Cum non mercato perdebant corpora cultu,
Cum non ulla Tyros uellera tincta dabat.
Nunc si diuitijs capta es, si uendere formam,
Si properas corpus tradere muneribus,
Nisa tuos patriam rem totam effundere in vsus
Iam cupio, dum te nocte dieq. fruar.
Dum tu non alijs disponas bella capillos,
Dum tu non alijs oscula ferre uelis.
Interea urbano mea lux semota labore,
Te capiant ruris fertilis hospitia.

PASTORVM. LVSVS

NOs Vocat huc blando densissima silua susurro,
Atq. caui fontis uitrea lympha uocat
Tuq. puer Cyparisse uocas, & pulcher Adoni,
Et lauri, & rubro lilia mista croco.
Huc huc pastores laeti succedite mecum,
Chloridis exurit quos nitor, atq. lepos.
Vt resonare nigras doceamus Chlorida siluas,
Nam pauidas curat Pan Tegeaeus oues.
PAstores. Orbem dum sol ardentius urit,
Parcite montanas sollicitare feras,
Quaerite ubi ramis sociant umbracula fagi,
Et uestris numeris iam nemus omne sonet.
RIuule. qui Naris liquido pede curris ad amnem,
Atq. soporifero murmure prata rigas,
Si Chloris formosa uenit mea cura, dolorq.

Si tinget Lymphis dulcia labra tuis.
Tunc nitido fies fluuio formosior omni,
Et tua cecropijs dulcior unda fauis.
Hinc dulci madefacta tuo mea prata liquore
Dulcia parturient gramina cuncta mihi.

DVM quatit alterna chloris uestigia planta,
Integrat & tremulos ore rubente modos,
Iuppiter admirans, non sic sua dulcia ludunt
Ad uada Permessi carmina Pierides.
Nec cantus philomela pares ualet edere; nec tam
Albus olor liquidae flumina uocis habet.
Phoebe tibi comitem nympham, diuisq. nouenis
Hanc decimam dixit addere iure potes.

DVM pedibus calcas segetes, dum mollia prata,
Nascuntur violae, purpureaeq. rosae.
Cuncta oculis lustrans fulgentibus arua coloras,
Et tibi frondenti de trabe cantat auis.
Quilibet ardentes argutat uersibus ignes,
Teq. suo in gremio continuisse cupit.
Ipsa tuam ne sperne precor formamq. decusq.
Sed si Lyda sapis, utere uere tuo.
Carpe rosas, dum fata sinunt; carpe alba ligustra,
Nam pereunt subito lapsa cacuminibus.

SI Non duritia puer es nunc durior ipsa,
Si veneris natus diceris esse deae.
Cur uis Parthenopen crudeli morte peremptam,
Non oculos somnum carpere, & ora cibum.
Si desiderio nostri tabescit in horas,
Cur miserae auxilium ferre cupido negas?

Saeue puer, damnose puer me iam quoque telo
Confice, & unanimes auferat una dies.

NEC liquidos fontes despectes prona, nec amnes,
Nec videas uitreo te Ligurina lacu,
Nam uereor tua ne Narcissum imitetur imago,
Mistaue cum Lymphis nympha ferare tuis.

DVM uolucres inter fons hic nitidissimus agro
Prosilit, & viridem quercus opacat humū,
Dum resonant mergis, Fulicisq. palustribus antra,
Dum zephyri grato murmurat aura sono;
Huc uenias, hic te maneo; tibi mitia legi
Poma; tibi flores, Parthenopea ueni.

PINIFERO uernans ò silua cacumine celsa,
Texisti latebris quae mea furta tuis,
Perpetuo uiuas, noceat non frigore bruma,
Non aestas nimio saeua calore tibi.
Quam uiridis seruire meo dignabere amori,
Tam longo uiridis tempore duret amor.

ROSCIDA pumicibus muscosis antra, puella
Si forte in uobis uicta sopore iacet.
O iam Parthenopes nomen resonate per ora,
Dicite, adest nostris Parthenopea locis.
Quid tibi nympha placet gratos captare sopores
Antris, dira quibus uipera saepe latet,
Accede ad riguos hortos, & amoena uireta,
Et saepe in nostrum blanda recurre sinum.
Ah quidnam semper sordent tibi nomina nostra,
Quaeq. potest esse haec causa? Minora placent.

ALma uenus, Cytherea potens, si mater amorum,
Si uere ex spuma diceris orta maris,
Huc reuoca nostram fugientem à litore curuo
Praxinoen, sistat ad mea rura pedes.
Tres tibi tum pateras Campani diua lyaei,
Ternaq. lacte nouo pocula plena dabo.
Terna tibi ponam Pario de marmore templa,
Et cadet ante tuos uictima terna focos.

HIc rident herbae, uernant hic gramina late,
Candidulos flores terra benigna parit,
Atque cadit densis hic maior quercubus umbra,
Et circum flores laeta susurrat apis.
Ergo ueni, merito dicet mea tibia laudem
Chlori tuam, hic Dryadum dulcia furta canam.

DVm tenui agrestem meditabar arundine musam,
Lydia saltabat docta mouere pedes,
Quod spectans subito tanto sum incensus amore,
Vt linquens calamos, basiolum raperem.
Illa tuum dixit postquam retinere furorem
Non potes, aeternum iam mi inimicus eris.
Hinc est flebilibus numeris quod cuncta repleui:
Si sapis exemplo Tytire disce meo.

PHoebus ubi auratas nitido regit axe quadrigas,
Diffugiunt toto sidera clara polo,
Diffugiunt noctes, pelluntur & orbe tenebrae,
Omnis odorato gramine ridet ager.
Sic Polibo:a suos si nocte recludat ocellos,
Candidior claro nox micat illa die.
Sic rident, ridente, rosae, sic gramina rident,

Tristitiam risu sic fugat illa suo.

CVm risit mea Nisa, simul tunc risit acanthus
Et dederunt risum silua, nemusq. suum.
Narcissi erexere caput, tum caltha, thymusq.
Ad risum, atque comas explicuere rosae.
Tunc ego cedat amor ipsum nam uincit amorem,
Omnes (cede Venus) surripit haec Veneres.

LIlia puniceis si iungas alba rosetis,
Vimq. suam seruet mistus uterq. color,
Haec facies Galatea tua est: roseisq. labellis
Mella fluunt, dulci stillat ab ore charis.

CVm proprio siluas aquilo spoliauit honore,
Occidit herba agris, arboribusq. coma.
Aethera non cantu demulcent turba uolucrum,
Et tenet in caulis pulchra Lycinna gregem.
Tunc squalent campi, densatur nubibus aer,
Tunc circumrigua decidit imber aqua,
Sic uer purpureum reddis mihi tale Amarylli
Cum fugiunt oculi lumina nostra tui.

CVr fugis o ingrata, meum ne despice amorem,
O ferro, atque aura durior, & leuior,
Nonne graues spectas, ut sol accenderit aestus,
Sudore ut iam iam tota Perbilla fluas?
Succede arbuteis his floribus, omnia dentur
Poma tibi, & dulci pocula plena mero.
Siste pedes, ingrata pedes, quid currere oportet?
Me magis urit amor, quo magis ipsa fugis:

HEu quoties apio, quoties uariata amarantho
Phylli ingrata tuo serta dabam capiti,

Et iaculis, cursuq. feras agitare solebam,
Vt ferrem praedas, exuuiasq. tibi.
Tu tamen haec semper spernebas munera, ut ipse
Ante diem elysiam cogerer ire uiam.
Ecce Venus multans te ingratam uindice paena
Quid dura obsequium morte rependis? ait.

HVC inter platanos, dum me sopor altus haberet,
Accessit furtim perfidus ille Mycon.
Et duo, quae tibi seruabam munuscula, ceruos
Abduxit, caecis abdidit & latebris.
Atque olim flauam pallam, roseosq. cothurnos
Surripuit, sacra quos tibi ab urbe tuli:
Haec impurus homo scortis munuscula defert,
Nec scelerum memores cogitat esse deos.
Illi turpe caput, frons torua, & lurida membra,
Barba impexa riget, spurcaq. caesaries.
Impia blanditias huic tu componere posses?
Huic bellos crines comere nympha tuos?
Di faciant istum deponas mente furorem,
Et famae parcas commonefacta tuae.

ME miserum quantas profundo corde querelas?
Me miserum quantis fletibus ora rigo?
Cum te non video vita mihi carior ipsa
Lydia, caelestes inter habenda deas.
Nocte, dieq. uagor per dura, & inhospita saxa,
Flebilibus complens uocibus omne nemus;
Te precor, aut finem nostris impone querelis,
Aut nos hic animam ponere saeua iube.

DVM niue cum multis pugnaret Nisa puellis,
Est niuis in niueos huic pila missa sinus.
Turbidulis urit nix pectus, dixit, ocellis,
Vrit, & hoc Veneris non potuere faces?
IN tonsi montes, siluae, collesq. supini,
Et uos irriguo mollia prata lacu,
Chloridi tam duros nostros memorate labores,
Quam longa ingratam persequar usque uia.
Non mediae tardant cautes, non uipera, non me
Qui latij liquido persecat arua pede.
Heu quoties flentem clarus me cernit eous,
Et flentem quoties hesperus ipse uidet,
Sed mea iam plenos lacrimarum fundite riuos
Lumina, & in formas corpora abite nouas,
O niueum fiant nostra haec iam membra ligustrum,
Vt noua sim musis fabula Pierijs,
Huc mea sic Chloris tendet cum perfida gressus,
Tam miseri forsan fata gemens lycidae,
Hoc manibus texet uiridantem flore coronam,
Et capiti impositam picta per arua geret,
Tunc uere potero felix, diciq. beatus,
Illi si cingam grata corona caput.
SAeuus amor rapido nostras est igne medullas,
Ex niueo bellae quem iacit ore Napes,
Quo uideor segetes, siluas incendere, & arua,
Et quae myrtetis litora curua nitent.
Sed multos caepit magna admiratio, quare hic
Fons non siccetur paruulus igne meo.
Sed tu flagranti quoties siccaris ab igne,

Compensant lacrimae frons tua damna meae.

VT quondam taurus uiridantia gramina carpens,
Cum uisa est illi bucula pulchra procul,
Mugitu resonare docet caua litora, & antra,
Ruraq. nec miserum gramina laeta iuuant.
Sic ego, cum primum mea te Nicellia uidi,
Incepi querulos fundere ad astra modos,
Nec gelidi fontes, patulae nec tegmina fagi
Vlla iuuant, nobis te sine dulce nihil.

VT quercum ualidis impellunt flatibus euri,
Sic animum Vorilix ad sua uota meum.
Sic etiam, ut quercus non flatibus ipsa mouetur,
Nostra labat nulla uerbere pulsa fides,
Dum uiuam, nulla hunc te praeter habebit amorem,
Ibis in amplexus sola Dicilla meos,
Di faxint in amore pares uiuamus, & una
Defunctos pariter contegat urna duos.

IAM mea tabescunt ingenti lumina fletu,
Qui riuo similis pallida membra rigat.
Hic tamen haud ignem potis est extinguere amoris,
Ex oculis Nisae quem iaculatur amor.
Vos superi, quibus est omnis concessa potestas,
Mi date, quo totus uertar in oceanum,
Ah timeo, oceanus ualeat ne extinguere flammam,
Namque mihi sensus semper amoris erit,
Audio & ardenti percussum Tethyos igne
Arsisse in medijs fluctibus oceanum:
Nec pelagus uacat hoc igni, Nereidas ardent,
Aequorei & rapiunt curua per antra Dei.

Et modo purpureo adliciunt fulgore hyacinthi,
Et modo quas conchas litora rubra ferunt,

ORNIVS. MOPSVS. PALAEMON

DVm redeo aerij currens per deuia montis,
In uiridi pono corpora fessus humo,
Et molles mihi vbique toros beneolentibus herbis
Extruo, & exopto sumere fontis aquam,
Fons ibi surgebat gelidis argenteus undis,
Populus & longe glauca tegebat aquas.
Densabant Paphiae myrtus umbracula circum,
Pulchrior in toto non erat orbe locus.
Ad fontem sitiens veni, admouiq. labella,
Nympha loci iunxit mollia labra meis.
ME mea Chloris amat, mihi multa dat oscula
Inq. dies mittit munera plura mihi. (Chloris,
Non mirum, me Pierides fecere poetam,
Laurea iam capiti serta dedere meo.
Et uideor Vario, uel Cinna dicere digna,
Aequiparo uersus Tytire magne tuos,
Cantando cessit nulli mea fistula uati,
Rettulit at potius pignora multa domum.
Et pede, tum iaculo ualeo, tum uiribus, ipsas
Insequor hirsutas per iuga senta feras.
Sunt mihi purpureae gracili lanugine malae,
Sunt pexi crines, oraq. eburna mihi.
Me nisi tam pulchram spectasset nympha, fuisset
Durior et scopulo, durior et Chalibe.

MOPSVS

QVID se formosum, quid tam sua carmina iactat
Ornius, Aethiopas ore referre potest.
Insane & uix te Maeui superare canendo,
Dum strepit in triuiis garrula canna leuis.
Sed me Chloris amat, nam pasco mille capellas,
Sum diues pecoris, copia lactis adest.
Cederet Amphion mihi in actaeo Aracyntho
Cantando, Phoebi tibia nostra fuit.

ORNIVS

IMprobe quid garris uana me uoce lacessens,
Num tibi cera umquam fistulae iuncta fuit?
Experiamur enim quid possit uterq. uicissim,
Si insanire libet, pignora certa dato.

PALAEMON

PIgnore non opus est, virtutis praemia, laudes
Sint: & honor, nunc me iudice, pignus erit.
Incipe Mopse prior, tu deinde sequaris, & orni,
Nostrae etenim tondent fertile gramen oues.

MOPSVS

GRamina dum riuis, dum uerno sedula flore,
Gaudet apis, cytiso dumq. capella nouo.
Numquam Chlori tuo dulcissima soluar amore,
Ad stygios moriens te sequar usque lacus.

ORNIVS

DIRA cicuta rosis, & melli taxus amara,
Dum virosa nimis sunt aconita uiris.
Te fugiam despecta Nape, te Chlori fouebo,
Atque comes fuero tempus in omne tibi.

MOPSVS

LArgifluo Chloris meus ardor fonte lauabat
Candentem faciem, brachia, crura, pedes.
Vt uidi, maesta ingeminans suspiria, dixi,
O utinam fierem nunc ego fontis aqua.

ORNIVS

FOrte sedens uiui fruticoso in margine fontis,
Inflabas calamos candida Chlori tuos.
Tunc satyri omnes saltabant, Dryadesq. puellae
Gaudebant festas ducere tunc choreas.
Cantabas, atque ipsa quidem saepe intermissis
Rumpebas cantus lux mea basiolis.
Illa dies utinam mansisset longior anno,
Aut foret extinctus spiritus in labijs.

ORNIVS

AH scelus, ah praedo tibi num dedit oscula Chlo-
Plura meis telis uulnera facta feres (ris?

PALAEMON

RES agitur pugnis, non cantu? coge capellas
Tytire, et in caulis Thestili claude gregem.
Frigidus hinc omnes suadet discedere uesper,
Qui modo ab occiduo protulit axe caput.

Finis Egloge.

AD COELIVM COELIVM

COELI, qui faciles tuis amicis
Fabellas uario lepore tingis,
Qui nosti salibus, facetijsq.
Lusus condere delicatiores,
Tu ueris bene comparans figuris
Carpis tam lepide hunc, & hunc, & illum,
Et coetus hominum inuenustulorum
Notas tam rigida locutione,
Vt te omnes timeant mali, & proterui.
Verum non ita contigit puellis,
Mutonem miserae timent salacem,
Ne splenem foret, ultimamq. costam.

IN CARAM

NVlli cara, omnes possunt te dicere caram,
Cara fores uere, si mihi cara minus.

IN INSIGNIA FAMILIARVM Pompei Rochij.

SI quando è caelo lapsum est ancille, fuisset
Rochius, Oebalij temporibusq. Numae.
Est alijs mistum clypeis dum paribus illud,
Ne facile posset nosci, & ab hoste rapi.
Astum omnem ingenio, studio elusisset & acri,
Queis potis est artes uincere Apollineas.

IN. OBITVM. LVCRETIÆ. VERINÆ
ex familia Leonoræ Toletæ Medices

QVo Lucretia abis, fugis que? quo ue
Clara lumina condis in recessu?
Quis te surripuit puella, quam tu
Profecta es patriam, deamue adisti?
Non Toleta satis superq. uisa est,
Arni quae decus est perenne Thusci,
Pulchrae par Veneri, tibi? Diana
Castitate prior, priorq. culta
Doctrina, & sapientia Minerua?
Illa ergo rutila astra, lucidisq.
Liquisti radijs iubar coruscum?
Quotquot sunt doleant amare Amores.
Virginis paphiaeq. lacrimentur,
Suspirent charites, fleat venustas.
Verine heu latuit, peritq; cuius
Torsit ex oculis faces cupido,
Heu mortalium acerba fata semper.
Heu tam Persephone licentiosa.

AD. BARBARAM. SANSE
uerinam Salae dominam

QVo titulo appellem, quisnam te laudibus ornem,
Nescio, nō hominē uox tua blanda sonat.
Atq. Dionæa par est tua forma, choreis
Vincis Nereidas, lauriferasq. deas.
Omnes ingenio, & praeclaris dotibus anteis
BARBARA, dispeream tu nisi numen habes.

AD. M. ANTONIVM
Vbaldinum.

QVid spectasse iuuat fatalia sidera Caeli,
Nosse ue quid signet nocte cometa rubens?
Quid iuuat Aeschyleo uersus proferre Cothurno,
Et nummis arcas semper habere graues?
Cum suprema dies humanum subruat omne
Imperium, terris regnaq. funeribus:
Instat mors semper supra caput, instat auara,
Et grauis ipsa super marmora, opesq. sedet,
Dispereunt musae, nigri quoq. carmina manes
Inficiunt, uitat pagina nulla rogos.
Vbaldine sapis, qui nil mortale secutus,
Sic uiuis, crimen mortiferum fugiens,
Vt breuis emenso perfunctus tempore lucis,
Caelum habites nullis mobile temporibus.

AD. MICHAELEM. BONELLVM
equitum S. Mauritij, ac Lazari
Praefectum.

FRactis hostibus impijs, scythisq.
Discinctos, Michael, paras in Afros
Bellum incendia per mare aestuosum,
Turbidum licet, asperatum, atroxq.
Eas impiger, & nigras phalanges
Inuade ocyus, arma uix uidebunt
Imbelles tua, contrement, in antra
Abrupta aufugient repente, quare
Princeps Ordinis, ordo totus illud
Tollet laudibus, & tibi inuidebit.

IN GVALTERIVM
Folietam.

QVod leuior folijs ferris folieta uocaris,
Vt folia autumno quod tua scripta cadunt.

AD. ANDREAM. SPINVLAM

DIces Spinula me male auspicatum,
Cum non tetigerim lares beatos,
Nec pro te tulerim breues labores.
Tantum falleris ipse, clara quantum
Virtus est tua, Caesarumq. quantum
Noctes atq. dies libros reuoluis,
Queis paras tibi iam decus perenne.
Si negotia, & otia expetita
Te uolumina luce cariora
Distinent, quereris? relinque nugas,
Te in caelum studio, & labore tollas,
Et morum, ingenijq. suauitate,
Virtutis titulo, & decore famae.

AD. IOSEPHVM. SALIMBENIVM
Equitem S. Mauritij, ac Lazari

IOsephe ingenio, elegantiaq.
Omnes exuperas auos, & omnes.
Quos Senae excipiunt potentiores.
Nil nostri miserere, nil iubeto
Solari miserum tamen iacentem,

Fortuna, ingenioq. destitutum:
Non fletuit, querimoniasue tristes
Quondam dulciculi aestimas Catenae?
Heu desiderio, & dolore sensim
Tabesco, maceror, perustulorq.
Sordent omnia prae meo lepore.
Hinc secum abstulit omnia heu meum mel,
Pompas, delicias, iocos, salesq.
Surpuit Ticinus meos ocellos.
Duram o inuidiam, meamq. sortem.

AD. ANGELVM IVSTINIANVM
Gineuerae Antistitem, concionatoremq.

MIra tua est probitas, mira est doctrina, loquentē
Quod te certatim quisque uidere cupit.
Laudibus innumeris sacra celebraris in vrbe,
Dum pandis uerae relligionis opes.
Dum sensus aperis caeca sub nube latentes,
Obstrusisq. notas mystica sacra modis.
Lutheri aduersam dum mostras sedulus artem,
Ne mentes uanis fallat imaginibus.
Propterea ad Gallos prauae contagia mentis
Tollere te Antistes misit ab Vrbe Pius.
Atq. ibi tu solus tetri maledicta refellis
Vgonis, & Christi uictor ab hoste redis.
Aeterna his meritis promittit munera Olympus,
Siue quid aeternis carius esse potest.


IN FVREM TRIVM LIBRORVM carminum Auctoris.

Fvr trifurcifer, impudice latro,
Vorax, impie, pessime, belluoq.
Audes fraude mala meos libellos,
Magis quos amo, quam meos ocellos,
Auferre è gremio, sinuq. nostro?
Huc omnes lemures, furentis ignis
Ministrae, phlegethontis huc Erinnes
Adeste ex Acheronte, & ex baratrho,
Ex Orco, ex stygio, lacuq. lethes
Summani, Eumenides, canes, colubri,
Vltrices Erebi venite Dirae,
Noctis arbiter, & domus cyclopum,
Adeste hydrigeri quot estis omnes,
Hunc suspendite, caedite, vstulate,
Quem non vincula, non tenent Catenae,
Quin vitam cupidis agat rapinis.
Libros viscera nostra vendicate.
Sed tu subdole, pertinaxq. fallax,
Pergas vsq. adeo latrocinari,
Te infames laquei manent, libellis
Pro tribus tria ligna sunt parata.

I. HIERONYMI CATENAE POEMATVM

Liber Tertius

AD. LIVIAM. BECCARIAM SPAIRANAM.



I glacie in media nitidi sunt aetheris aestus,
Et nullis tegitur nubibus acris hyems,
His tenebrae cessere tuis, & nubila ocellis
LIVIA, & aufugit lumine bruma tuo.
Hinc aperit Zephyrus flores, hinc aera mulcet,
Et canit Ismarium Cecropis ales Ityn,
Atque hinc Roma rosis crines circundata vernis
Tybridis haud tumidos horret, ut ante, lacus.
Iam rapida indomitum Tybris caput extulit unda,
Nunc placido Nymphae uictus ab igne iacet.

AD. I. BAPTISTAM. ALBANVM Comitem.

ALbane ingenio potens, & alto
Sanguine edite, terq. septiesq.
Felix omnigena eruditione,
Heri ad Pallada uerticem Quirini
Colentem redij; suauibus quae
Blandisq. alloquijs morata mecum est.
De te plurima protulit, tuasq.
Laudes sustulit aethera ad supremum.
Tunc virtutis amore conflagraui,
Tunc visus mihi sum beatus esse.
Vna Daedalea est probata Virgo,
Vt dignissima sit tuis canoris
Versibus Repetas uireta Pindi
Iam tandem, & Ticini Aonem, & Medusam
Albane hanc celebra, cole, et verere.

DE. CHRISTOPHORO Alciato.

ME nunc usque beauit ALCIATVS
Facundissimus omnium uirorum,
Qui sunt, quiq. fuere, eruntq. post hac,
Atque idem lepidus, uenustulusq.
Qui mirantibus hinc, & hinc puellis,
Matronis, senibusq. & vrbe tota,
Promit dulcia uerba, docta, culta.
O illum ter, & amplius beatum,
Cui dedit superum pater benignus.

Cuncta mente videre perspicaci.
Is me carminibus beauit aureis,
Quae tot Leucadio salo recensent
Deuictos Numidas, Scythasq. saeuos,
Assultum, rabiemq. barbarorum
Compressam, hostica tela, tum rapinas.
Quid si nunc probet aureae puellae,
Quam colit Ticinus, paterq. Tybris,
Meos versiculos, meosq. lusus?
Fortunas nihil aestimo Sabaeas,
Non aurum inuideo beatiorum.

AD I. MARIAM.
Iouium

TOrqueor Ioui, & vror impotenti,
Et saeua nimis vstulatione,
Vt ni suppetias feras, opemq.
Hac cogar miser interire nocte.
Si ridet tibi molliter Cupido,
Apolloq. fauet, fauet Minerua,
Accede huc propere, viam vorato.
Acceptam referam tibi salutem.

IN. LIVIAM. BECCARIAM
Spairanam

QVam flores canerem libens fragrantes,
Collectos manibus nouae Cytheres,
Quam clarus Ticinus colitq. amatq.
Manus lacteolae, manus tenellae,

Quae mi munera cara tradidistis.
Quam vellem hendecasyllabis ad astra
Tollere eximiam hanc benignitatem.
Prae uobis nihil aurea illa mala
Aestimo Hesperidum, fauos uel Hyblae,
Curo Palladiam nihil coronam.
Manus me hercule floribus beastis.
Flores candida Virginis pudicae
Signant pectora, candidosq, mores,
Honestam, & sine labe ubiq. uitam.

AD. ANGELVM. INGENIERIVM DE. LIVIA. BECCARIA.

Spairana

MEcum concine promulum labellum,
Paestanum, roseumq. floreumq,
Nymphae, qua Ticinus superbit aureus,
Angele, en tueare, ut hinc, & inde
Apes mellificae uolent ad ora,
Sugant ambrosiamq. cinnamumq.
Halantem casiam, thymumq. olentem.
Hinc fauos auidae struunt repostos,
Hinc cient placidos uagae susurros,
Atque hinc LIVIA pulchra ab ore dulci
Verba dulcia promit, imò nectar.

AD. AEMILIAM. MITELLA

SOle puro splendidior Mitella,
Albior cunctis scythicis pruinis,

Dulcior dulci ambrosia, atque amore
gratior omni.

Aureos, dic, quis tibi dat capillos,
Quis tibi frontem niueam, ac serenam,
Roscidum labrum, nitidosq. ocellos,
Flammea tela?

O mihi ingrati nimium capilli,
O mihi frons haec nimium seuera,
O mihi dura haec nimium labella,
Acrior ò fax.

Quid fugis uatis numeros Mitella?
Ferre qui possunt super astra nomen,
Qui valent functas reuocare ab imis
Sedibus umbras.

Spernis ah nostras male cauta Musas?
Negligis laudes lepidae Camoenae?
Disce quid iam Penelopea uati
Debeat ipsi.

Disce quid Phaenissa suo Maroni
Perneget Dido, atque Helenae quid obsit
Forma, quid natae Cereris rapina,
Regnaq. Ditis.

Pone tot fastus generis superbos,
Pone & atrocem bona virgo uultum, &
In tui uatis cupidos lacertos
Blanda recurre.

AD. SACRATISS. VIRGINEM
Nomine Angeli Bubali Romani,
restituta sanitate

Torrebat teneras febris uesana medullas,
Et propior fati uenerat hora mei.
Cum precibus commota pijs succurris, & omnem
Depellens morbum, languida membra leuas;
Propterea his humiles sanctis aduoluimur aris,
Et uotiua libens munera persoluo.
Hinc madidis numen semper suspiret ocellis
Roma tuum, arguto fundat & ore preces.
Sancta etenim in terris non ulla labe refertum
Humanum corpus reddere, Virgo, tuum est.

PVELLA AMANTIS DISCESSVM
Conquerens

Nuda genu, et strophio nineas male cincta papillas
Ad gelidas Cornu Nisa sedebat aquas.
Frigidula moestas effundens uoce querelas,
Clamabat Lycidam caeca furore suum,
Quo Lycida heu fugis, in quam te te proripis oram,
Ne absentis Nisae cura sit ulla tuae?
Te sine uer placidum miserae mihi praeterit, aestas
Aufugit, & sine te frigida transit hyems.
Et uiduo pateris sic me iacuisse cubili,
Vt falso Actaeo Phyllis amata uiro.
Ah cur tam iuuenis uani dulcedine honoris

Captus, in externa uiuere pergis humo?
Ah cur non retrahunt tot te discrimina rerum,
Non mouet atrocis fluctus & inuidiae?
Cui scio te cunctis semper luctarier annis,
Et cuius rapido turbine semper agi.
Hei mihi te aurataeq. trabes, & marmora forsan,
Lectaq. Erythraeo littore concha iuuat.
Et spectare patres, quos alta in sede locatos
Illita sidonio murice lana tegit.
Ah nimium peccas, si his, quae miratur, amatq.
Ignarum tantum munera uulgus, hias.
Quid gēmae sine amore ualent, quid purpura, et aurū,
Quasq. coloratus parturit Indus opes?
Ah nimium peccas si possis diuitis auri
Pondera, quaerendo, fallere uelle fidem,
Non prosunt Musae, non carminis auctor Apollo,
Vt referas uates praemia certa domum,
Pieridas Princeps, doctos nec amare poetas
Nouit, sed lucro composuisse lucrum.
Haec. tu saepe mihi dicebas, secula tractant,
Heu male nunc artes, egregiosq. uiros.
Dilectam patriam tamen, & me linquis amantem,
Floridaq. infelix Marginis arua tui.
Et perlucidulum fontem, qui dulcibus undis
Per roseam tacito murmure serpit humum.
Visco vbi te pictas uolucres captare iuuabat,
Lenire & longa pectora fessa mora.
Nisae ubi iucundos repetebas cantibus ignes,
Aurato tangens pectine fila Lyrae,

Tunc nymphae celeres ex nubifero Apennino
Iungebant gratos ad noua plectra choros.
Et post distincto nectentes serta colore
Certatim ornabant tempora flaua tua.
Sed quid ego infelix studeo memorare puellas,
Quae miserae curas tot pepercre mihi?
Romuleas uereor nymphas, ne dona iuuentae
Blanditiis carpant, illecebresq. suis.
Hic dolor, & nostrae sunt haec incendia mentis,
Hic amor illusam me uiolentus edit.
Heu quid agam? sagae num me praecepta sequentem
Carminibus magicis hostia pulla iuuet?
Pallentes ne legam herbas; quaeram thessala philtra,
Vngues an ne rogis, ossaq. lecta feram?
Deuoueam tacito te noctis tempore? tradam
Furtiuum cupidae uel tibi uirus equae?
Has dum diuersas agitabat perdita curas
Nisa, superuexit Hesperus astra polo.

DE PSITTACO HERSILIÆ Cortesiæ.

O quae iam celebraris orbe toto
Mater HERSILIA omnium leporum,
Dic, quibus tibi Psittacus uolauit
Ab oris nimio nitens, & ostro,
Auro, versicoloribusq. pennis,
Vt Phoebo sacra fulget ales Indis.
Vnde illi ingenium, loquela, risus?
Quis dicteria, quis dedit querelas?

Vnde est anxietas, amaritudo?
Vnde blandiciae, facetiaeq.
Vt te diligat, ut petat, uocetq.
Atque arguto edat hinc, & inde cantu?
Nunc dormit Domina inquiunt ministrae,
Nunc dormit domina hic subinde reddit,
Non uoce impare, & altiore uoce.
Nunc coenat domina, heus ueni, ille currit,
Et simul loquitur, simulq. cœnat.
Abi hinc improbule, & tace obloquutor,
Et statim tacet, & statim recedit.
Mox redit, dominam intuetur, atque
Manus appetit, & deosculatur,
Et sinu Dominae cubare tentat,
Figere oscula, morsiunculasq.
Ridet conqueritur, iocatur una,
Nugales numeros, sonosq. promit.
Ah illi quoque suppetunt amores,
Sentit hic etiam faces amoris,
Quas tu istis iacularis ex ocellis,
Quas torquent Amathuntidos capilli,
Quas pectus iacit, atque eburna colla,
Maiestas animi, & perita uerba
Quis inter uolucres parem uolucrem,
Quis nurum in nuribus parem latinis,
Aut quis dixerit esse pulchriorem?

DE. HORTIS. QVI. SVNT. IN. COLle Quirinali, Hippolyti Estensis Card. Amplissimi.

DEliciae ruris, latij florentis ocelli,
Magna Quirinalis culta uireta iugi,
Flora ubi perpetuo sedet, ac pede Naiades udo,
Et quae uerna fouent gramina Hamadriades.
Dicite quis subitus uestros turbauit honores
Eurus? qui laetum hunc aestus hiulcat agrum?
Hei mihi non euro rapido, non sole calenti,
Discessu at domini deperit omne decus.

AD. LVCAM. CONTILEM. DE. LIuia Beccaria Spairana

LVca, quem lepidae fouent Camoenae,
Salsa qui monumenta condis, ipso
Attico quoq. dulciora melle,
Hos uersus capias, quibus uenustam,
Ac Phoebo magne luteo nitentem
Virginem celebramus Vrbe tota,
Illam; quam colis impotenter; illam
(Vera si mihi nunciantur) omni
Quam aeternas numero beatiori,
Cui seruit Ticinus, fauetq. Tybris,
Tibris nobilium puellularum
Et iudex, & amator, atque asylum.
Quam factum bene, quam secunda luxit
Dies, LIVIA. cum Remi penates

Subiuit proba, candida, & decora,
Nostri gloria seculi, & futuri,
Cui adsistunt Veneresq. Gratiaeq.
Cui Nymphae famulantur obsequentes,
Quam circumsiliunt tenelli amores,
Dij boni, aequum ut habet Iouem, vt benigna
Caeli sidera cuncta, uirgines ut
Romuliq. nurus ad astra tollunt.
Ipsa autem (Geticis ut olim in oris
Narrant dulcisono accidisse uati)
Concentu ut Tyberim moratur, atque
Vt trahit siluas lepore dulci,
Blandis delicijs, modisq. blandis
Casti pectoris, ingeniq. amici?
At mei inlepidi, atque inelegantes
Versus diminuunt puellae honores.
Tu tractes Cytharae sonora fila
LVCA, tu decus illius figures,
Doctorum omnia qui uolas per ora,
Et palatia principum, & theatra.

AD. ANGELVM. BVBALVM

ANgele, sidereo quo numquam gratior alter
Descendit caelo, iam mihi laetus ades.
Tu mihi principium, tu finis carminis esto,
Castalis unda mihi, pulcher Apollo mihi.
Floreat ut nostris tua uirtus maxima chartis,
Ingenium, probitas, gratia rara, fides.

Suscipe quos hilari mitto tibi fronte libellos,
Nec leue perpetui pignus amoris habe.

DE. FLAVIO. VRSINO. CVM Cardinalis creatus est.

PLectrum mi date lesbium puellae,
Quae fontes vitreos tenetis Hemi,
Fronde cingite laurea capillos.
Vt plausus ualeam omnium Quiritum,
Et laetas cecinisse tot choreas,
Quot ducit latij colonus agri.
FLAVIVS quoniam ille Iuliorum
Flos, nunc purpureo micat galero,
Veste nunc tyria nitet sacrata,
Euge iò canite, euge io Quirites,
Atque istam celebrate sanctiorem
Lucem, qua probitas sibi, decusq.
Orbemq, imperiumq. vindicarunt.
Olim uos lupa nutrijt benigna,
Vrsus nunc latias tuetur arces.
Euge io canite, euge io Quirites.

AD. BENEDICTVM. MANSOLVM

MANSOLE, optime, nobilisq. Musae
Decus Cecropiae, decus latinae,
Quis te per pluuias, niuesq. duras,
Flabra per mala saeuientis austri
Gallicis iubet huc uenire ab oris?

AD. HIERONYMVM
Cornazanum

SI tantum specie, atque honore praestas
SCORNAZANE uenuste, perbeate,
Mirum, si faciles te amant puellae?
Mirum, gratia, siq. pulchritudo
Adurit tua nobiles puellas?
Mirum, si decus oris, ingeniq.
Omne cor mouet, alligat puellas?
Si genas roseas, obesulasq.
Matronae cupiunt suauiari,
Ac si quidquid adest ioci, ac leporum
Si Suada, & Clarius, nouemq. Musae
Maiae filius, & nepos Diones
Si tecum usq. habitant, morantur usq.
Mirum, si pueri, uiri, senesq.
Te uel discupiunt fouere uisum?
Si Bellona fauet, fauet Gradiuus,
Si uires dederunt tibi potentes,
Mirum, quod superes Duces superbos?
Est par nemo tibi. hercule omnium unus
Tibi singula namque uendicasti.

AD. ANGELVM. BVBALVM

QVod frater perijt saeuis Antonius armis,
Parcarum, defles funera acerba nimis.
Heu nimium longo luctu tabescis inani,

Cum reputas paruas fata dedisse moras.
Namq. eius virtus, grauitas, faciesq. decora
Sera debuerant interiisse die.
Me miserum, sero nihil interit Angele. & ipsa
Quae fertur sera, est longa senecta breuis.

AD. POMPEIVM
Spairanum.

QVid nunc si cilium tumor malignus,
Si caput dolor opprimit, latusq.
Prodire è domibus cupis? nec artus
Cernis, vt macie tegantur, utque
Languor frigidulus genas coloret.
Quid quaeris sine sectione facta
Chirurgo male dicere, & uenenis?
Adiungas potius uenuste Pompei
Domi suauidicum tibi sodalem
Vrbanum socium dicaculumq.
Et ioco, & salibus, cacchinnulisq.
Nunc mentem exhilara, iubeq. edaces
Curas in Scythiam ire, & ire in Aegas.
Iam uer, iam placidos refert tepores
Iam pingit uiolis humum, rosisq.
Iucundis Zephyris nouatur aer
Tristis, nubilus, imbribusq. saeuus.
Tunc per florea rura, lilietum,
Vrbem Romuleam licebit erres,
Tunc equo alipede, essedo Britanno,
Cinctus ense latus, forum, uiasq.

Lustrare, aspicere hinc, & hinc puellas,
Tunc detur sociare purpuratos,
Tunc conuiuio adesse sumptuoso.

AD. CINTHIAM

TE pulchram nasci noluit Deus; ut sua norint
Mortales, quae sint regna beata poli.
Ipsa tamen uultus condis, roseasq. papillas;
Munifici spernens tot bona rara Dei.
Exere Virgo tuos uultus, recludepapillas;
Non tibi soli nata es, neq. tota tua es.
Quid te nunc decor iste iuuat? quid pectora? formae
Cum ualeas nulla Cinthia parte frui?

AD. LIVIAM. BECCARIAM

O que te charites beant, venusq.
Et colunt homines supremo honore,
O salute magis salus salubris,
Istos sideribus pares ocellos
Venustos, placidosq. blandulosq.
Ne auertas rogo, sed feros dolores
Pellas, LIVIA. caelitumq. uitam,
Et mores ueterum refer dearum.
O quae te peperit parens beata,
O quae te tetigit beata nutrix,
O quae te recipit domus beata,
Est quod delicias deum recuset

Qui tuos ualet intueri ocellos,
Ocellos, duo ſydera, & micantes
Faces Tyndaridum ſalo petitas,
Faces pernitidas ſacrae Diones
His ò qui pereunt beati amantes.

DE. HIPPOLYTA. AEGROTANTE
Ad Octauium Maſinum

NVnc mea correpta eſt morbo Maſine puella,
Pulchra color iam iam pallidus ora notat,
Non etenim haec fiunt noſtro ſine damna dolore,
Vltima iam properant & mea fata mihi:
O utinam inueniam ſuccis melioribus herbas,
Gramina uel magico lecta miniſterio,
Queis pulchro diſcedat edax è corpore languor,
Ne ſint tam ſubito tot peritura bona;
Cogar & ante diem ſtygiam cognoſcere lympham,
Pallidulosq. meos abluat illa pedes;
Ipſe ego non ſaeuo uiolaui numina uerbo,
Nec ſuperum didici fallere poſſe fidem.
Nullis uipereum porxit mea dextera uirus,
Suſpenſa ex adytis donaue ſurripuit.
Dij facite ut dulci virgo conſperſa ſopore
Tandem oculis ſomnum mox petat ore cibum.
Quid iuuat inſomnem longas producere noctes?
Quid iuuat hanc gratum carpere nolle cibum?
Quid teneris morbi rabiem ſaeuire medullis?
Totaq. formoſi corporis oſſa teri?
Imbellem quid laudis erit uiciſſe puellam,

Membraq. lethiferis contemeraſſe malis?
Quod ſpolium ueſtris latura eſt femina templis,
Quae uos quæ tandem gloria tanta manet?
Quae pietas ueſtra eſt, ſi non miſereſcitis unquam,
Si ſinitis leuibus nos dare uota notis?
Ah nimium cupidi, cum dijs ſacrauimus aras,
Cum cecidit tepidis hoſtia multa focis,
Ah nimium ſtulti, ductos de marmore uultus
Cum pulchra uolumus parte locare domus.
Quid queror infelix? iam iam denunciat horam
Perſephone, & lacrimas ridet auara meas.
Parce precor tantum iuuenem torquere, marito
Sic tu ſis ſtygio grata rapina Ioui.
Haereat atque auidis ſemper complexibus, ipſe
Non aliam umquam, te praeter, habere uelit,
Et ſi quis Theſeus te ſit rapturus, eidem
Certet, & ediſcat pellere Pirithoos.
Parce precor teneram ſubito uiolare iuuentam,
Ne pereant uno corpore tres animae,
Nam mea ſi triſti lux morbo abſumitur, ipſe
Hippolyta extincta uiuere non potero,
Et ſi non potero, poterit nec certus amicus
MASINVS noſtrae maxima pars animae.
Huc ades, intonſis ſemper mea cura capillis,
Huc ades, & uati Phoebe ſuperbe faue.
Phoebe faue huc properans, herbarum namque ſapores
Noſcis, & es medicae ſancte repertor opis,
Effice, ne ora modis cernam pallentia miris,
Cimerioſue adeat bella puella lacus.

Da pater hoc nobis teneris si semper ab annis
Te colui, & nullo est candida mens scelere
Astricta, & crines redimitus Daphnide fronde
Si perago uitae tempora pura meae.
Da pater hoc, laus magna tibi tria corpora amantum,
Diceris tantis si eripuisse malis,
Tunc me non terram genibus repsisse pigebit,
Nec supplex aris oscula pauca feram.
Praeterea faciam testentur secula longa
Hoc ingens pictis munus imaginibus.

AD. CINTHIAM

PArcas fundere CINTHIA
Fletus aurea turbidos.
Nec vultum line lacrimis,
Nec tam saeua papillas.
Florem virgineum tuum
Carpi desine Carolo,
Qui solers tibi lectulum
Totum spargit odore.
Amplexus parat obuius,
Pertentat sua pectora
Tam felix modo gaudium,
Vt uix mente capessat.
Ne perdas iuuenem mora,
Qui ad se te dominam uocat,
Optans soluere zonulam,
Longo tempore cinctam.

Adsis o hymenaee hymen,
Hos ambos ope sospites,
Pulchra prole patrem face,
Hunc testante pudorem
Matris, quae modo lumine
Sicco te hymenaee hymen
Tandem mitior aduocat,
Tollens tempora flaua.
Ah ridet, uideo, bona
Ne fingas mea Cinthia,
Huc huc o hymenaee io,
Adsis o hymenaee.
Et risu Venus aurea
Gaudet, uoceq. ludicra,
Huc huc o hymenaee io,
Adsis o hymenaee.
Matronae roseo in toro
Pulchram ponite virginem,
Ah ridet, uideo, iocos
Iam fert Carole mille.
Ridet porrigit & manus
Amplexura Thalasium,
Iam iam uos date liberos.
Omnis ianua clausa est.

AD. HIPPOLYTAM

E. Greco

Mellitos mea uita tuos miratus oclls,
Candidulos dentes, candidulasq. genas,

Serpentem toto concepi pectore flammam,
Mens animi ereptis sensibus exciderat,
Vt ni suauiolum roseo tunc ore dedisses,
Migrasset subito spiritus in tenebras,
Quas ego pro tanto dicam tibi munere laudes?
Quas nisi constanti semper amare fide?
Quaerere & assiduis tibi me seruire diebus,
Et mediam tenero sustinuisse sinu.
Nec me lasciuum uatem quis dicat amantem,
Esset in Hippolyta perditus Hippolytus

DE. OBITV. CARD. RODVLPHI Pij Qui cognomento Carpum dicebatur.

PIus purpurei decus senatus,
Et fide, & pietate singulari,
Nobis mortuus est: fidesq. honorq.
Lugete, atque homines uenustiores,
Carpum carpit iter tenebricosum,
O factum male, uah malae sorores
Tetricae, inuida mors, acerba, & atrox
Hunc heu heu hominem pium abstulistis,
Dignum uiuere Nestoris senectam.
O factum male, cur Apollo succis
Cessasti rabidum fugare morbum?
Hic semper coluit bonos poetas.
Phoebus nescio quid mihi susurrat
In aurem. Deus optimus supremo
Hunc uidit merito carere honore

In terris, igitur uocans olympo,
Asciuit numero sacro deorum.

AD. PAVLLVM

NOstra tibi nimium sordent haec tempora, laudas
Aurea Saturni secula Paulle senis,
Queis commitebat nemo sua semina sulcis,
Atque erat exudans non labor ullus agris.
Nullaq. laedebat genialia foedera lecti
Femina, desposcens praemia adulterij.
Ista quod excellens laudatur temporis aetas,
Mirandum nihil est, glans placet usque tibi.

DE. CINTHIA

CInthia mi dicit semper male, dispeream, ni
Ciuili prorsus me odit iniqua odio,
Hoc melius quoniam nil repperit, ut peream, quam
Si ipse mala ediscam dicere ei totidem.

AD. ANNAM

SVlphuream ruptis flammam uomit ore caminis
Audax enceladus, tactus ab igne Iouis.
Ipse quoq. aethnaeos expiro faucibus ignes,
Omnicremo formae tactus ab igne tuae.
Est tamen Anna tuus Iouis igne potentior ignis,
Nam perimens, uitam donat habere mihi.

AD. GALVANVM Castaldum

VErum Castalidum decus sororum
CASTALDE, inuida te nimis procella
Fortunae insequitur, nimis malignis
Mergit fluctibus impudentiorum.
Hinc dolere tuam uicem diebus
Numquam desino, noctibusq. tantum
Laedor, cum uideo virum elegantem,
Perdoctum lepidum, probum uenustum
Torqueri grauiter manu nocentum.
Sed iam certus erit modus dolori,
Castalde, hoc mihi crede, namque cerno
Viros surgere, qui nouem sorores
Amplectuntur, amant, coluntq. & ipsos
Plurimi faciunt viros disertos.
En quis me modo nuncius beauit,
Narrans candidi, & optimi repente
Gratiam retinere te Casalis,
Aulam Pontificis colentis? ipse est
Vnus, qui releuat Patrum iacentes
Virtutes, specimen, decusq. & urbi
Qui scit reddere pristinos honores.
Ergo gratulor & tibi, mihiq.
Gaudeo, quia iam ualebis hercle.
Ferre praemia digna, & usque, & usque
Regibus melius placere magnis.

AD. M. ANTONIVM
Muretum

MArce, Sic comitetur usque Suada
Greca seu monumenta, seu latina,
Quae salso, ac uario lepore condis,
Quod sentis cedò de mea Thalia,
Num elegantula, sordidone amictu,
An currat lepide, uel infasete?
Et quos uersiculos Catullianos
Aptis nesciasit referre uerbis?
Cuncta edissere, nam tuo polito
Subdam iudicio: Et quod approbaris,
Necesse est etiam approbent camoenae.

AD. HIERONYMVM
Florellium

NOn mihi FLORELLI studio formosus Apollo est,
Atque assis facio munera Pieridum.
LIVIA fulgidulis me blanda exurit ocellis.
Qua sequor, obsessum torquet utrumque latus:
Atque adeo ualida me me ligat ipsa catena,
Vt miserum dominum dura catena trahat,

QVORVNDAM. CLARORVM
Virorum Spinularũ Genuensium elogia

IN. VBERTVM

VBertus uigilans in publica commoda, ciues
Dum mutant, timidiq. horrent surgentia bella,

Eligitur consul, moles quem dura laborum
Inflexit numquam, classem qui ornauit, ut acri
Concuteret Mauros bello. Regemq. coegit
Arbiter Hispanum patriae soluisse talenta.
Multiplici tandem cumulatus laudis honore
Floruit, en uiuit uolucri super aethera fama.

ALIVD

QVod ligures Sardoa tenent uberrima regna
Est uberte tuũ, iussum dum Caesaris audes
Exuere, & liber sermoni obsistit iniquo.
Nec tanti ualuere Etrusca potentia Pisae,
Vt Ligur imperio uelit audiuisse superbo.
Gens Pisana potest risum ridere, cadentes
Quem sardi ridere solent, hoc fulmine linguae.

IN. NICOLAVM

QVi populi merito posset Victoria dici
Nicolaus, cunctos animi uirtutib' anteit,
Dux legitur, patrijs armorum fortibus ausis
Inclytus, hic Venetam parua dum classe potentem
Fregit, & Ionijs grassantem cepit in vndis
Strenuus aeternum meruit per secula nomen.

IN. GASPAREM

AFflictis studuit rebus succurrere Gaspar,
Deletasq. acies, & mersas litore puppes

Inſtaurat, venetosq. ciet, ſegnesq. fatigat.
At poſtquam bello non commouet, oppida cepit,
Adriacumq. ſinum uexans, hoſtilia ſigna
Rettulit, & praedas, egitq. ex hoſte triumphum.

IN. GERARDVM

NOn opibus tantum nituit domus alta Gerardi,
Maiorum contenta fuit nec laudibus, omnes
Sed ligurum proceres illuſtri uicit honore.
Ipſe tamen recti, & iuſti inflammatus amore,
Inſignisq. fide, inſignis prudentia, & acri
Conſilio, ſemper deteſtans ciuica bella,
Egregiamq. ſibi famam, generiq. parauit.
Nec minus enituit factorum gloria, & armis,
Eridanus ſemper teſtis, Lucenſiaq. arua.

IN. FRANCISCVM

NOn Caieta minus Franciſco præmia debes,
Qui te lethifero eſt quondam tutatus ab hoſte,
Quam quae campano te litore condidit alto,
Illa licet fuerit nutrix Aeneia, Ianus
Hunc pater enutrit Rex ſeruantiſſimus aequi,
Hic tibi iura dedit, leges hic ſanxit honeſtas.
Hic numquam patriae pro libertate tuenda
Extimuit duri reſcindere iuſſa tyranni.

IN. ARGENTINAM. SPINVLAM
Vxorem Theodori Imp. Constanti
nopolitani filij

SPinula dum Graias inter pulcherrima nymphas
Visa est, Inachides qua stupuere deae.
Rex Helenam credit Byzantius, & sibi cuncta
Pertimuit, cum sic Bosphorus insonuit,
Excipimus Ligurum nos hanc ex aequore: monstrat
Forma Helenam, latiam fama pudica nurum.

AD. F. VINCENTIVM
Catenam patruum

AOnidum cultrix, & saeui martis alumna
Vmbria, virtutes suspicit ipsa tuas,
Patrue. dum scriptis fugienda, sequendaq. mandas,
Quaeq. sit aeternis ara dicanda Deis.
Iure igitur dicit, uincit Vincentius ipsum
Consilio Fabium, Religione Numam.

DE. QVIBVSDAM. SIGNIS
Caelestibus

VT summo poteretur atrox Mars solus olympo,
Saturni eiecti dixerat ultor ero.
Dixerat, inq. Iouem patrem ruit agmine facto,
Cum magnis miscet proelia caelitibus.
Sedibus aethereis tandem detrusit, & alto
Vi potitur, nutu sic regit astra suo.
Quid mirum est igitur Rex si eruat ipse Philippus

Opida, quae ſancta ſub ditione tenes
Marce, tuis obſtet nunc & ſors improba ceptis,
Et ſolis faueat proſpera militibus?
Cedendum eſt. mihi crede, Iouis ſunt numina uicta,
Caeleſtiq. ſuo Mars uiget imperio.


EPIT. LVPI. ROMANI

CLauditur ingenti Lupus hoc ſub marmore, uixit:
Quo uiuente Lupo, nullus in orbe Lupus.

I. HIERONYMI CATENAE POEMATVM

Liber Quartus

IN. LIVIAM. BECCARIAM SPAIRANAM



Vo frondent pictis redolentes floribus horti
Colle Quirinali, Ticini pulcherrima Nympha
LIVIA consedit, gemmis, auroq. micanti
Cincta comas, frontem stellatis cincta corollis,
Albentes humeros, & formosissima colla
Ostro implexa, & claro hyali perfusa colore.
Candida ut inficiens roranti lumine terras
Tithoni pulchro coniux procedit amictu.
Hic resonant auibus praeculta uireta canoris,
Hic lauri surgunt, hic uernat spartica myrtus,
Ros maris, & uiolae, serpunt hederaeq. sequaces,

Hic ridet mollis baccis elatus Acanthus,
Et turgent immista rosis, immista amaranthis
Lilia, purpureo diffulget terra hyacintho.
Stillat & innumeris bullis fons dulcis aquai,
Hinc, atq. hinc strepitāt lymphæ ī sublime uolātes.
At uirgo famulas, hominum uariare figuris
Vela iubet, fieriq. manu litusq. ratesq.
Haec pelagi faciem tenui discriminat auro,
Et pharetras Thracum format, celeresq. sagittas,
Illa Scythas notat infidos, saeueq. minantes,
Armorum strepitus, lateq. sonantia transtra.
Mox ut ab Hesperijs deuicti classe potenti
Fluctibus Ionijs Thraces, Nomadesq. superbi,
Ceu subito nubes ventorum flamine, solers
Pingit acu, vt uasto circum concussa fragore,
Et fluctu piceo fundo horruit Amphitrite.
Atque alia heroum uires demonstrat, & artes,
Intortos ignes, medicataq. sulphura nitro,
Plumbea quot stridulas sunt fulgura missa, p auras.
Hortorum o dulces cultus, dulcesq. recessus,
Qui numquam talem dignati cernere diuam,
Liuia qualis adest formoso lucida uultu,
Estis iam caelo curae, & fatalibus astris.

AD. IOANNEM. DOMINI
cum Rebibam

PEr nostri Ciceronis, & diserti
Scripta Virgilij REBIBE iuro,
Plus incredibili tui uidendi

Me desiderio peruri, acerba
Quam febris spatio trium dierum
Meas usserit intimas medullas,
Audita est ubi comitas, fidesq.
Et Pallas tua, amorq. singularis,
Quo me prosequeris, datum sit umquam
Neutri licet alterum uidere.
Si arta Peonia, salubribusq.
Succis restituet sagax Apollo
Vitam, & Calliope fugabit ipsam
Febrim, lethiferam, siticulosam,
Semper aeolio sacrabo uersu
Te, nomenq. tuum, meus furor, quo
Me febris rapit? haec malus poeta?
Immo suspiciam magis silendo.

IN. INVIDOS

AD. PAVLLVM. PARAVICINVM

VIta mihi grauis est, grauiter mihi carpitur aetas
Propterea tardos conqueror ire dies,
Iustitiam uiolant omnes, sacrumq. piumq.
Sunt permista uirum fanda nefanda malo.
Nil releuat uirtus, solum facta impia prosunt,
Siue cupido tua lampsace siue tua.
Carmina qui faciunt Musis, & Apolline dextro,
Non credunt illos esse putare deos.
Nunc licet, o mores, o tempora dicere, postquam

Seclorum nostro hoc tempore finis adest:
Scilicet ipse melos libans Helicone uirenti,
Ad mea deduxi carmina Pieridas.
Et quod non alijs longis contingit in annis,
In me omnes puero turpe fuisse putant,
Et me prae inuidia non cessant increpitare,
Insidiasq. mihi composuisse nouas.
Vilius ast alga duco id proiecta, & ad ipsas
Dum detur Musas currere posse, sat est.
Constitui hanc semper iocundam uiuere uitam,
Pro qua uel Regum munera despiciam,
Constitui redimire caput parnasside lauro.
Inuide tu ingratis auribus ista bibe,
Dum uis me damnare, iuuas, dum perdere seruas,
Tu ingraciles artus extenuatus ades.
Ast ut maiori peragas tua fata dolore,
Atque ut tabescas & magis, atque magis,
Iam genus, & mores dicam, patriosq. penates,
Percurram uitae tempora quaeq. meae.
Nursia me genuit, sedes memoranda Sabinis,
Qua gelidis Cornu perstrepit amnis aquis.
Affecit tenerum multo me patria honore,
Gauisa est musis saepius ipsa meis.
Mecoenasq. meus primae lanugiuis annis
Imposuit tenerae laurea serta comae,
Cum doctis uideor priscis certare poetis
Carmine, quod ualeat nulla abolere dies,
Stamineaq. rota nullum scio ducere rombi,
Praedata est sensus nec lupa foeda meos:

Lustra tria exegi casti sine labe pudoris,
Hactenus impure cognita nulla Venus,
Infelix iuuenis fera quem complexibus urget,
Et capit insidis subdola blanditijs,
Offendit nostrae nullum petulantia linguae,
Nulli ego tentaui certa uenena dare,
Nullum, ipse insidians, saxis ferroue petiui,
Alteriusue mali minximus in gremium,
Impiaq. in diuos non soluimus ora beatos:
Inuide te ad laqueos haec benefacta trahent.
Et sequimur pure Christi praecepta tonantis,
Pelloq. quos noui mente fuisse mala.
Atque pater Clemens nunc me in sua tecta recepit:
Inuide te ad laqueos haec benefacta trahent,
Inuide te Paullus perdet, te mittet in ignes,
Toxicaq. efficiet liuide ut atra bibas.
Ipse mihi est uindex, ipsi mea carmina curae,
Ipse suis multis me iuuat officijs.
Paulle tuum modo nascentem tutare poetam,
Et crescent uires, crescet & ingenium.
Et mihi si perget tunc inuidus esse molestus,
Arma lycambeo tincta cruore geram.

AD. HIERONYMVM
Batyllum

SCribunt uersiculos, BATYLLE, Paullus,
Ianus, Curtiolus, tuus Camillus,
Et ludunt salibus, facetijsq.
Ac miscent calices meraciores

Nunc carpunt pyra, bellulosq. flores
Legunt, nunc numeros catullianos
Cantant molliculos, uenustulosq.
Te curae retinent amariores,
Te negocia distinent Batylle,
Ah quid suscipis amplius labores,
Ah quid murmura, garrulasq. uoces
Fundis pro uetulo Mariniano?
Quem perdant superi senem hispidosum.
Huc huc te referas amice, linquas
Vocum prostibulum, domos potentum,
Nam qui nec sibi uiuere imperauit,
Nullo me hercule tempore ille uiuit.

AD. MARIVM. ET. RVTI lium Alterios

FEsta racemiferi redeunt trieteria Bacchi,
Apparat & cœnas, & bona iura cocus.
Bacchus agit nymphas, pueros, iuuenesq. senesq.
Vos tamen in studijs docta Thalia tenet.
Felix, qui potuit uanos contemnere lusus,
Atque colit musas, & sapit ante diem.

AD. VINCENTIVM Stampam

CLara Romulidum propago auorum,
Cui fons Virginei chori labella
Proluit puero Aonas petenti,
Tu solus reuocas honoris almae

Vrbis, & specimen, decusq. solus
Virtutem ueterum foues parentum,
Illorum monumenta dum reuoluis,
Perquiris, relegis, per ampla tecta
Principum, referens eorum honores,
Triumphos, spolia, aureas coronas,
Vt natus uidearis aureo illo
Seculo Ciceronis, & beati
Augusti. Mihi si placet benigne
Concedas, tibi carus esse possim,
Nil mihi poteris mage expetitum,
Nil concedere gratius: superbi
Ciues sic tibi debitos honores
Soluant, sic tua facta ad astra tollant.

DE. SIMVLACRO. DIVI
Francisci sito in Aedicula Cardinalis
Araecaeli:

Excultum miraris opus quicumq. sacello,
Quod Clemens mira condidit arte pius,
Francisco haud credas formatum corpus eburnum,
Viuit enim & blando spiritus ore calet,
Sed quod nec cuiquam loquitur, nec respicit ullum,
Est domini totus raptus amore sui,

IN. OBITVM. IACOBI
Cincii Romani

Omnes laetitias mihi, & lepores
Extinxti moriens IACOBE ad unum,

Iam non fingere Musa dulciores
Versus mi dabit, Ast Apollo plectrum
Franget, cum mea uita letho amaro
Tristior sit acerba mors, atroxq.
Quid nobis rapis inclytum poetam?
Quo nil salsius, elegantiusq.
Adhuc Romula terra procrearat.
Siue carmina roscidis sub antris
Praeclaro faceret Marone digna,
Texeretq. modis Horatianis
Seu cultis numeris referret ipsum
Petrarcham, nihil aurea corona
Non ornandus agebat. Ergo uiuit,
Viuit ille Iacobus, ille in ore
Frequenter sonat omnium uirorum,
Ergo flebilibus modum querelis
Certum est ponere, caelitum beata
Nam uita fruitur, uaga atq. olympi
Sub se lumina cernit, ipse multo
Caeli lumine clarior refulget.

AD. IOANNEM. ANTONIVM Odescalcum.

Quis tibi, docte puer, bella, ac noua carmina dictat?
Hoc tantum non ars ipsa magistra ualet.
Nempe tui Phoebus tenero perculsus amore
Dulcia Pieriis ora rigauit aquis.
Sic Maro, sic Flaccus pueri, suauisq. Catullus
Ludebant doctis carmina digna modis,

Orpheus Iſmarius uix primo flore iuuentae
Traxerat arguta ſaxula pauca fide,
Poſt rigidas cautes, dum fila ſonantia mouit,
Ac pinum hirſuto uertice, poſt nemora.
Tu quoq. ſi perges, internumerabere uates,
Spiritus aethereus creſcet & ipſe tibi.

AD. COMPAGNVM Compagnium

Compagni, tua noſter Hierinus
Totis carmina praedicat diebus,
Nunc ſales, Veneres, iocoſq. molles,
Et nunc ſeria temperata luſu.
Te, quod difficile, & laborioſum eſt,
Martis caſtra ſequi, Cupidiniſq.
Vt te tam faciles ament puellae,
Vt te tam timeant uiri proterui,
Vt ipſi ſtupor adſit Hierino.
Quod ſic me excitat impotenti amore
Vt tecum loquar, & fruar uiciſſim
Ipſa laetitia, attico lepore,
Et gratis pariter tuis Camoenis
Vt nil ſit mihi gratius futurum.
Quod ſi contigerit, ſecundiores
Luxerint mihi iam dies, eritq.
Fortunata magis domus potentum.

AD. LVDOVICVM NIGRVM

QVod mihi carminibus laudatur Mater Amorũ,
Arguis, & probris me Niger usq. petis
Numquam Atlantiades Veneri tibi iunctus amatur,
Numquam cyprigenae iunctus Apollo deae.
Quantum deciperis? nam cur Venus aürea Caelo
Hunc inter Phoebum, Mercuriumq. ſedet?
Haec ignota tibi iam pridem numina ſenſi,
Et quid ſit pulchra ſcribere cum Venere.

AD. HIERONYMVM. ET
Io ſephum Maſcardos

MAſcardos animo, & fide probatos
Clarosq. omnigena eruditione.
Iam Clio properes adire amicos,
Rebus Mercurio pares agendis
Praeclaro ingenio, eloquentiaq.
Ipſos inuenies, nouem colentes
Magisq. & magis inclytas ſorores.
Dic quam conſilio bono, & ſalubri
Commendare meos uelim libellos,
Et patrocinio cauere eorum,
Nequiſquam malus his nocere poſſit.
Quod ſi feceris, & forum, & Plateas,
Vagari poteris Camoena tuto.

AD. M. ANTONIVM Fidelem

CVm uidi numeros, atque nouo sonu
Expressa italico carmina Horatii,
Huic dixi ora liquore
Sic Clio Aonio reples?
Hunc o Pythie sic tollis honoribus,
Sic docto resonat pectine barbitos?
Non esset potis Orpheus
Haec plectro modularier.
Sed quae cura noua, & sollicitudines,
Hoc quae praepediunt bella negocium,
Quae lites procul ipso
Arcent Pieridum choro?
Vt ne perficias hoc opus aureum,
Imponasq. manum uersibus ultimam?
Ah ne quaeso moreris
Omissam capere hanc chelim.
Te nemo potuit uertere Horatij
Carmen, nemo, FIDELIS, melius quidem,
Ipso nemoq. reddit
Verbis uerba fidelius.

DE. C. COELIO. ET. RHAESO Caesio

COelius, & Rhaesus latiae duo lumina terrae,
Iunguntur parilis foedere amicitiae.
Nec magis Hopplaeum Dimas, Patroclus Achillem,

Damonem Pithias, Thesea Pirithous
Dilexit, quam se simul amplectuntur, amantq.
Vt numquam concors sit uiolata fides.
Est etiam similis facies, caput, os, animusq.
Ars quoq. & incessus, dictaq. factaq. sunt;
Scomma, ioci, rixae, uoces, furor, ocia, risus,
Atque simul uisam depereunt dominam.
Finxisset Natura duos discrimine nullo,
Ni dispars illis inguinis hasta foret.

AD. ANGELVM. BVBALVM

ET pudor ingenuus, mores & Apolline digni,
Candida non uana pectora nota fide,
Ingenium, probitas, pietas, facundia, uultus,
Antiquos faciunt, ut superes atauos.
Quin etiam resonant dulci sic carmina labor,
Verba puer mira sic grauitate refers.
Vt Semeles pulchrae, uel sis latonia proles,
Angele, uel Nestor, uel uideare Numa,
Non miror potuisse senes pueros fieri umquam,
Dum scio te puerum moribus esse senem.

AD. PAVLLVM. CESPITEM

VErsetur Paullus quouis in turbine leti
Vir bonus, & patria semper aberret humo.
Nulla domus phrygia celebretur splendida gaza,
Aurato niteant pocula nulla lare.

Qui afflictos bellis referunt uenientibus annis
Nos Iouis auxilium tandem exorasse tonantis.
Tu, per quem miseras terras Astraea reuisit,
Per quem praecipuos iactat nunc patria honores,
Cum spectat seu mentis opes, seu flumina puri
Eloquij, suadamq. tuis cartisq. foroq.
Huc agedum lusum, & deductum suscipe carmen
RAINERI. propiorq. meis allabere caeptis.
Inde alios, aliosq. senes tibi condere uersus,
Et tua perpetuis intexere nomina cartis
Opto, dum faueant Phoebusq. nouemq. sorores
Interea hunc libeat Meliboeum audire canentem.

PROTOMANTIA

CONLOCVTORES

MELIBOEVS. ET. MYCON

DIc age, dic iam care Mycon, quae causa, qs error,
Ingruit & quae tempestas? effare, quibusue
Sollicitus curis, ut eas properanter in Vrbem?
My. *Non me cura urget, mala nec fortuna fatigat*
Lanigeri pastor gregis, at mea sola uoluptas
Magnifica heroum tecta, & loca uisere adegit.
Nam memini, uix prima genas tũc flore iuuẽta
Vestierat, uerum digitis tria lustra notaram,
Ante focũ narrasse Aeglen, Mopsumq. parentẽ,
Romanos late populos, urbesq. superbas.

Vincere,& imperiū super & Garamantas & Indos
Proferre, & quicquid cōplectitur aequore Nereus.
Haec,& plura mei narrant dum forte parentes,
Mens,animusq.;mihi puerili ardebat amore,
Linquere iam montes,& magnam cernere Romam
Mel.*Hei mihi quā durū,et qunato meminisse dolori ē*
Fortunam mutasse uices,Romana fuisse
Imperia,& tam lata nouis confinia regnis:
Non ego sub tuguri miser essem culmine,nec me
Confectum macie, tristi; laceroq. uideres
Hospes amictu, nec pecudes,hirtasq. capellas,
Et teneros foetus uiridi compellere hibisco.
Ast aurata domus,Pharijs operosa columnis
Atria,sed uariata Phrygum uelamina textu,
Ac me regifico exciperent aulaea paratu:
Namq. mihi quondam diffusi iugera campi
Balantumq. greges,& erant mihi bucera secla,
Et patula nummos spectabam diues in arca.
Verum ubi transuersos egit discordia reges,
Ingratos reges tectorum damna meorum,
Saeuit amor ferri,horrendis concurritur armis,
Hei mihi uexantur ciues, & magna supellex
Perditur,atq. hostes famulos,natumq. trucidant,
Irrumpunt thalamo,saeuorum more luporum:
Barbarus inde meas segetes, uictosq. penates
Miles habet,pecus hoc seruandum tradidit Aegon.
My. *Ah miserande senex crudelia fata subisti,*
Pascere oues, & lac distento ex vbere caprae
Exprimere Aegoni, ac lethum uidisse tuorum.

Roma tamen tantos non eſt perpeſſa furores,
Quin ſint ſemper ibi par gloria, honorq. fideſq.
Vir bonus in precio, ſancti tum cultor honeſti.
Propterea prior eſt animi ſententia noſtri,
Cuncta videre haec; quam repetã fundumq. larẽq.
Mel.*Ah miſer, ah male caute uiam hãc inſiſtere noli,*
Sed celerem obfirma greſſum, & mea dicta capeſſe.
Cum primum inficiet terras pallantias, aureis
Lucebit radijs Titan, pelletq. tenebras,
Cras repetas patriamq. tuam, propriosq. penates,
Si uitam tutam, ſi vis ſeruare pudicam.
My.*Non poſſum Meliboee tibi reticere, quod Vrbem*
Me velit incolere, aut inſtent quae gaudia nobis.
Somnifero cum nox redimita papauere frontem
Surgit ab oceano, et fuſcat caelum heſperus umbra,
Huius propter aquam fluii captare ſopores
Olim ſuetus ego, tollit ſe Tibris ab alueo,
Haec quoque fatidica loqtũr mihi uoce frequẽter.
Hudis litoribus requieſcens aduena noſtris,
Huc mentis conuerte aciem, timor ipſe faceſſat,
En tibi laurentum Tibris rignator aquarum,
En Deus ipſe loci felix tibi nuncius adſum.
Tu modo ne ſpernas, monitus, uerum ipſa Deorum
Accipe conſilia, & uertentes ſaecula fuſis
Concordes Parcas audi. Iam ſidera quinque,
Liber, & alma Ceres, vaſti clariſſima mundi
Lumina, complerunt ſpatium, dimenſus Olympum
Eſt Deus, en iterant uenientia ſecula curſum,
Secula ab integro renouantur, regnat Apollo,

Atque urbem uenerari. Haec pastor suscipe cuncta,
Et mecum uenias, & mecum carmina fingas.
Mel. *Laudes alternis dicamus principis huius.*
My. *Dicamus quae sint casus solamina nostri.*
Hoc quoque Clementis semper nemora auia longe
Responsent nomen, Clementis nomen ad astra
Ipsa ferant arbusta, ipsae loca confraga rupes,
Et noua carminibus laetentur secula, iam iam
Tibri pater lauro cingas sacra tempora, cingas.
Mel. *Macte tuis altis ripis, macte omnibus undis,*
Ipse tibi grator famam super aethera tolli,
Et tua uictrici connecti tempora fronde,
Tibri pater lauro cingas sacra tempora cingas.
My. *O seclum felix, o terq. quaterq. beatum,*
O fortunatam tali sub principe Romam,
Te maiora quidem, quam prisco tempore, facta
Ad Caeli poterunt Stellantia tollere claustra.
Tibri pater lauro cingas sacra tempora, cingas.
Mel. *Iam uiridi in prato coepit uariare colores*
Insolitos aries, uestitur murice, & auro
Fulgenti, & croceo mutat iam uellera luto.
Tibri pater lauro cingas sacra tempora, cingas.
My *En uiolas tellus passim producet, Acanthum,*
Narcissumq. crocumq. & candida lilia, & ipsae
Plena domum referent errantes ubera caprae.
Tibri pater lauro cingas sacra tempora, cingas.
Mel. *Cessabit boreas, canosq. hirsuta capillos*
Hinc aberit glacialis hyems, euriq. notiq.
Antra petent omnes, orbemq. tepentibus auris

Mulcebunt Zephiri tantum, atque inarata recentes
Terra dabit fruges, & quercus roscida mella.
Tibri pater lauro cingas sacra tempora, cingas.
Ipse ego caeruleas donec uoluentur ad undas
Flumina, dum Phoebus nigris orietur ab Indis,
Dum refugo tellus stabit circundata fluctu,
Te Clemens dicam, pariter uenerabor, amabo.
Magne pater uiuas felix per secula, uiuas.

IN. SIMVLACHRVM
Diuae Mariae

NAuita cui memori celebret soteria uersu,
Quod colat, euicto milite, miles habet.
Virginis effigies praefert depicta tabella,
Quam uouit subiens saeua pericla Mater.
Hanc relegat terris, caelum post fata reuisens,
Perpetuo ut possit cernere corpoream.

IN. BERNARDINVM
Pelisonem

CVm panem PELISONE deprecaris,
Pulsans ostia turrium potentum,
Intra limina te uocant puellae,
Atque implent loculosq. sacculumq.
Et magnam ueteri amphoram lyeo,
Comati pueri ferunt placentas,
Et partem cibij, fauumq. mellis,
Quid uis me PELISONE suspicari?
Os blesum tibi, caesiae pupillae

Sunt, nec tu nimis elegante lingua es.
Ah nasum cupiunt tuum uidere
Mellitum bene, plurimum, aureumq.
O felix domus, o Patres beati,
Quos ditat melius repandus unus
Nasus, quam facerent Midae talenta.
Tu beatior omnibus beatis,
Si iam perpetuo deos rogabis,
Reddant te PELISONE polyposum.

IN VRBEM ROMAM

VRbs quae tot populos, quae latas uicerit urbes,
Pluraq. tractarit praelia, nulla fuit,
Quam Roma, imperiũ ut pelagus nõ clauserit ipsum,
Vicerit Eoos, uicerit Hesperios,
Ne quid & inuictum toto uideretur in orbe,
Bello etiam inuictam uincere se uoluit.

DE. VIRGINIA. PVELLA Lepidissima

PRimum Virginiae illices ocelli
Me intactum capiunt, subinde captum
Huc illuc lepida trahunt catena.
Fortunata catena, lux beata,
Qua iecit iaculum pudica Virgo,
Qua Virguncula pectus ustulauit.
Haec uincit Veneresq. Gratiasq.
Atque in his habitat Cupido ocellis,

IN. CLARAM. CAESIAM
Haerulam

DVm Claram proauis, Veneris dum munere clarã
Mors uidet, obscuram reddere falce cupit.
Nil agit, in CLARAM Mors iras fundit inanes,
Ingenio clara est, clara pudicitia est.

AD. MARIANVM
Sicatellum

EXcipit AMMONIVS quod te nũc diuite mensa,
Infundens semper pocula plena tibi,
Laetari noli, insidias scrutare latentes;
Cum potes uitreos tot SICATELLE scyphos.
Stulte nihil sentis? est una haec questio, ut illi
Perspicuus uitro sit magis iste animus.

DE. NATALI. ANGELI
Bubali Romani

IVppiter horrendas clades, & caede cruentam
Europam spectans, foedera sancta parat,
Ecce etenim insignis facie, & fulgentibus alis
ANGELVS ex alto mittitur Hesperiae.
Tibri pater gaude, choreas huic ducite Nymphae,
Et teneram roseo nectite flore comam,
Salue itera Tiberine, & aue ter dicite Nymphae,
Namque datum est iterum tollere ad astra caput.

AD. VIRGINIAM

Virgo oculos Iunonis habes, & Cypridos ora,
Atq. manus Hebes, atque pedes Thetidos,
Palladias aures, Phoebes argentea colla,
Atque vlnas Helenae, Sulpiciaeq. latus.
Purpureos Syrio consperſos rore capillos
Aurorae, at mammas dic mihi cuius habes?

AD. FRANC. IACOBILLVM. DE Pallude Fulgineae exiccata.

Impiger Alcides, magni Iouis inclyta proles,
Argos quem coluit ture, & honore ſacro,
Vix bene Lernaeam ferro, ac face contudit hydram,
Reddidit & Graium fertile molle ſolum.
Sed cura uigilante tua, ſolertia, & alto
Franciſce ingenio, quo ſuperas atauos,
Fulgineae domitaeq. breui, uictaeq. paludis
Inſolitas didicit currere lympha uias.
Hoc Vmber ſulcare ſolet robuſtus arator,
Et colere in media pingue palude ſolum.
Herculea, maior Franciſco gloria ſurgit,
Corporis eſt illud, hoc opus ingenij.

AD. ANT. GALLVM

Si coenam Lacedaemonis Lycurgi
GALLE, & Pythagorae accubationem,

In horto uiridi, beato, amoeno
Paras, perpete flagitatione
Ne uoca, quoniam Deo sacratos
Scis Vates Bromio fuisse cunctos.
Non mi plurima iura abominata,
Sed pernas, uitulam, anseres salitos,
Et turdos nitidosq. cereosq.
Rhombos Hadriacos para trilibres,
Muraenas simul, & lupos recentes
Hoc hoc ingenium facit disertum,
Tunc curae ex animis ferae recedunt,
Et tunc versiculis Thalia feruet,
Et nos sidera tollit ad suprema,
Tunc tecum ualeat Cato, & Lycurgus.

AD IVLIVM BARDINVM

IVli qui reperit domus superbas,
Fucum, regia texta, purpurasq.
Næ improbissimus improbissimorum,
Et pater fuit immodestiarum.
Nobis colloquium, iocosq. dulces,
Et doctas simul ambulationes,
Et caram mihi surpuit camœnam,
Nunc libri tineis, malisq. blattis
Sunt esca, heu ualuit Linusq. & Orpheus.
Solum diuitias, lucrumq. turpe
Nostra haec aurea secla prosequuntur.
Cogunt diuitibus manum osculari,

Suspendam templo, ac uestrum de more quotannis
Ante sacrum dicam carmina culta tholum.

AD. HIERONYMVM Florellium

FLorelli, tibi quae puella saeua
Furata est animam repente ocellis,
Te semper leuis à tuo ore fugit,
O prorsus miserum, licet nec ire
Quaesitum, tibi namq. sensus omnis
Desit, floribus humor ut tenellis,
Cum canis furit aestuans per agros.
Exanguem tamen aureis sagittis
Te cupido ferit, perurit usque?
Nimirum sapit, est amor uenenum
Dulce, amaricies suauis, atq.
Mors est uiua, malum petitum, amatum.
O bis te miserum, o maligna fata,
Cum tortusq. macerq. pallidusq.
Prudens, atq. sciens perire mauis,
Quam inconstantem, homicidam, acerbam, auarã,
Istam linquere Cloeliam dolosam.
Iam iam sperne Amathunta, sperne Colcos,
Parnassum pete, & Aonum uireta,
Castas dilige uirgines sorores,
Quae te sidereo ferent Olympo.

AD. FAVSTINAM

PVrpureis Faustina rosis male tincta labellum
Quid legis exorto sub Phaetonte rosas?

Quid tentas rugosa genas, tibi lilia, Adonim,
Fucum, & gemmatum poscere reticulum?
Crede mihi haud turpi prosunt pigmenta figurae,
Turpiaq. ornatu corpora perdis anus.

IN. GVALTERIVM
Folietam

IAm Folieta uago totum pede circuit orbem,
Et semper sanae non fuit Anticyrae.

AD. MVSAS
VT. CAESAREM. GALLVM
Adeant.

MVsae, mi faciles, & obsequentes
Adeste hendecasyllabis, iocisq.
Natalis meus est, io sorores,
Io dicite, & usque, & usque, & usque.
Aestatem hanc mediam meae iuuentae
Laetae dicite, nunc bene ominatae
Corpori, atque animo, bonisq. uitae.
Vultis plenius, & magis beate
Plectra tangere barbiti sonori?
GALLVM quaerite, qui est decus canendi,
Cui stillant Aganippidos fluenta,
Hunc & munditiae fouent, Venustas,
Huic rident Paphiaeq. Gratiaeq.
O quot gaudia, quot modos, iocosq.
Vobis quam segetem osculationum
Ministrabit, & elegantiarum?

O lux candida, & aurea, & relucens,
Et magis nitida, & magis relucens,
Si GALLVS canet hunc diem, ſimulq.
Choreas celebrabit. ipſe namque
Eſt potis dare mi dies perennes.

AD. IVLIVM. MONACHVM CARA pham. & Io. Baptiſtam Garganum

O Vos, qui ambroſias dapes, penates
Acceſtis nitidos Iule, Iane,
Si oeſtro concitus huc eo; relicta
Vrbe, nec minus inclytis amicis,
Factum tam cito mi quid improbatis?
Quis quoeſo potuiſſet abſtinere
Iſti tam celebri, grauiq. honori?
Auleis, domibusq. ſumptuoſis?
Sat uires, ſat opes, ſat aſtus omnis
Sunt uiro, fateor, nihil latet me,
Et haec ſingula mors acerba perdit,
Dura falce metit, necatq. ſaeua,
Et quod tartareis trahit tenebris.
Cuncta confiteor, manentq. uera,
Mente ſi cupimus nimis tenaci.

Glyconici

AD. IACOBVM ZACHEVM

TE urget cura ſcientiae,
Qua ſupra ingenium uoles?

Ad caelum cupis euehi?
Turpem segnitiem amoue.
Regnum destruit haec lues,
Desunt funere litterae hoc,
Cum te te illecebrae, ocium
Inuadunt, nihil amplius
Curabis bona Pallados.
Iam te pelliciat fauor,
Virtutis studium graue,
Iam te gloria, praemia.
Pertentent tua pectora,
Errorumq. licentiam
Solers pellito, & impiger.

Emulatio cuiusdam poematis

DElectant picti flores, frondesq. uenustae,
Atq. Alijs praebēt herbaeq. auraeq. leuamē,
Antraq. securam fundunt per membra quietem,
Arma queunt, arcusq. animo depellere curas,
Et prosunt umbrae, dulcedine aquaeq. salubres,
Discutit angoresq. graues spirabile caelum.
Heu nostram uitam quod lassam nil iuuat umquam
Flos, frons, herba, aura, antra, arma, arcus, umbra, aqua, caelum.

Inferiae ad Iacobae matris Tumulum

PErfusus lacrimis pectus quae tristia mitto
Carmina pallentis matris ad inferias.

Immensum gnati memorem testentur amorem,
Testentur moesta pectora tunsa manu.
Atq. iterum Doralis flauos laniata capillos
Muto nequicquam munera det cineri:
Europeq. genis non parcat, mater ademptam
Te saepe ingeminent, sidera saeua nocent.
Viuebas rectiq. tenax, grauitateq. lenis,
Inter utrumq. decor, uirgineusq. pudor.
Nil dictu foedum, nil quod temerare puellas,
Aut posset pueros sancta referre dabas.
In te cana fides, prudentia magna uigebat,
Consilium, ac dubijs casibus ingenium:
Et tibi quae nomen pietas tutissima seruat,
Quodq. tibi partum est relligione decus.
Visebas tu nuda pedes sacra templa deorum,
Dum riget acris hiems, dum premit arua gelu.
Diceris hinc hausisse genu atri semina morbi,
Atq. ita tabifico uicta dolore cadis.
Sed pia quod cadis, aethereo pia surgis Olympo,
Haec fuerant Caeli templa colenda tibi.

AD I. ANTONIVM Radium.

SI tristem mihi, siq. Luctuosam
Vitam uiuere Iuppiter dedisset
Et Roma procul, & procul Camoenis,
Dedisset gelidis RADI his in oris,
His secessibus inuijs, opacis,
September fuit horridus December,

Terra torpuit & gelu, & pruina,
Et uites aquilonibus, notisq.
Et niue obriguere, & hinc Lyaeus
Sicco gutture protinus recessit.
Hirsutos adeo, hispidosq. sentes,
Pro molli uiola, rosaq. odora.
Interdum obueniunt tamen iocosae
Nymphae, candidulaeq. blandulaeq.
Haec pulsat Crotalum puella, at illa
Magis barbiton increpat, choreas
Exercens alia ustulat medullas.
Sed si è carceribus, repagulisq.
Profundo è puteo egredi licebit,
Libertas erit usq. comparata.


AD LAELIVM VBAL
dinum.

O qui Iessaei caelestia carmina uatis
Tam docta latiae concinis arte lyrae.
Qui regum, qui facta patrum plectro aedis eburno
Qui sanctos gaudes sanctus inire choros.
Enthaea Verbigenae promas mysteria, Laeli,
Emittasq. senis dogmata legiferi.
Cetera subuertunt uel tristia bella, uel ignes.
Haec sacra sunt nulla deperitura die.
Nil timeas dentesq. Canum, morsusq. malignos,
Non nocet aethereis liuor acerbus iners.

I. HIERONYMI CATENAE POEMATVM

Liber Quinctus

DE CLAVDIA RANGONA



Vaeris imperium uidere amoris,
Quaeris Idaliũ, Citheraq. alta,
Quaeris consiliũ, fidem, pudorẽ,
Quaeris pernitidos, nigrosq. ocellos,
Quaeris purpureas genas, capillos
Quaeris candida colla, pectus, artus
Quaeris compositum latus decenter;
RANGONA potes haec uidere in una.

IN LVCIAM

LVcida lucidibus mea Lucia lucet ocellis
Phoebeaq. magis Lucia luce nitet.
Occultant Phoebi liuentia nubila uultum,
Vmbriferae solem noctis opaca tegunt.
Ex animis nubes pellit mea Lucia uultu;
Candida nigrenti Lucia nocte micat.

AD. PAVLLVM. PA ravicinum

OMnibus auxilio es, tenues nec spernis amicos,
Sed uis officijs usque iuuare tuis.
Tum quoties uoti minus est sententia compos,
Excruciant animum cura, dolorq. tuum.
PAVLLE quidem est etiam multorum uelle iuuare,
Sed uelle, ac semper posse iuuare, Dei est.

AD. LANCILLOTTVM. Lancillottium

TE tenet Argiuis Ancon habitata colonis
LANCILLOTTE meae maxima pars animae.
Et pulchras inter lauros à collibus altis
Hauris Adriaci litora rauca maris.
Nos autem montis frondenti in uertice Iani
CLEMENTIS colimus regia tecta sacri.
Hinc oculos, animumq. urbis nos pascimus alto
Prospectu, & tristes florida prata iuuant.
Aequora perq. agri sinuoso flumine currens
Afficit hinc Tibris pectora laetitijs.
Non tamen ulla magis ferrem solatia menti,
Quam possem tecum dulcia uerba loqui.
Non te fucatò Anconos trahat Ore uoluptas,
Nec capiant portus ostia pulchra diu.
Nam minor est Ancon, quam ciuis, et ipse sacerdos
Romanus leuibus distat ab Argolicis.

AD. IOANNEM. FRANCIS cum. Bonomum

Bonomé, optime, & omnium bonarum
Artium bene cultor, aegrá postquam
Membra debilitantur, aestuantq.
Ipso lethiferi furore morbi,
Quam bene, ac sapienter his adesse
Decernis placidissimis in oris,
Vt puro, ac tenui fruare Caelo,
Amouens medicaminum uenena;
Quis praecordia saepe deuorantur.
Hic mollem uiolam, Ocymum, rosamq.
Tellus, auraq. parturit Fauoni,
Non desit cucumis, Liaeo amoeni
Colles, Palladi non honos negatur.
Hic Phoebus residet, lyra canitq.
Culta carmina, quis repellit omnem
Curam, & sirion; atque amarulenta
Docet dulciculo eluisse cantu.
Is tibi cytharam dabit canoram,
Qua fundens numeros, iocosq. molles,
Possis tabificum fugare morbum.

AD. FABIANVM

Qvod uestes neuere meae Fabiane sorores,
Ducentes agili stamina torta manu.
Risit eas magnis tua iam gannitibus uxor,
Omneq. Lanificum Palladis odit opus.

Quid credam? mulier fuit haec non persica, numquã
Stamina deduxit lanea laena fuit.

CELEBRAT. MVNERA Neaerae

MVsa Parnassi bijugi uireta,
Linque, & auratam Cytharam resumens
Laudibus magnis celebra Neaerae
Dona puellae.
Gratijs iunctis uenias amorum
Mater, & pulchris Ericina nymphis,
Huc ueni matris geminae Cupido
Gloria duplex.
Aetheris uasti super astra pexam
Tollite & uestem, niueumq. soccum,
Dulcis, ac in me facilis Neaerae
Pignus amoris.
Ipse dum uestras choreas amabo,
Dumq. me Phoebus per opaca Pindi
Ducet hoc multas celebrabo amicae
Carmine laudes.
Nunc canam blandos, nitidosq. ocellos,
Nunc genas tinctas minio, patentem,
Lucidam frontem, niueumq. pectus
Oraq. Sicca.
Nunc amicum Dijs animum, benigni
Gratiam uerbi, Veneresq. & illam
Qua uiros uincit sophiam, beatum
Ingeniumq.

Te canam semper mea lux Neaera,
Et meae vitae columen, leporq.
Tu meus primus fueris, meusq.
Vltimus ardor.

AD. TICINEN

DVm siccas madidos puella crines,
Qui spirant Cyprios, syrosq. odores,
Et Venus stupet, & stupet Cupido,
Sol currus medio polo moratur
Spectans Lucidulam, comam repexam,
Longam, & aureolam, huc & huc uagantem.
Ne uelis Ticine amplius uagari,
Passum lux mea subliga capillum,
Nam diuûm uereor dolos, rapinas,
Nam manus timeo inuidas, dearum,
Ah caue ne homines uoces ad arma,
Atq. uras simul impotente flamma,
Hos uelo, colligaq. uitta
Nam tot spicula sunt, faces, ueruta,
Ac per tempora quot fluunt capilli,
Tot sunt hei misero mihi Catenae.

AD. HIERONYMVM
Vbaldinum

NYmpae, quae colitis uirides Crystalla p umbras,
Formosae, & gelido curritis usq. pede,

Excipite, egregia fessus cum Palladis arte
Flos iuuenum uisens marmora uestra petit,
Pellite letiferum candentis pectoris aestum,
Doctaq. muscoso proluite ora uado.
Sic non cedetis doctis Agganipidos undis,
Miscentes dulci quod fluit eloquio.

IN. MEDICVM

QVamquã permagnis efflas tua carmina buccis,
Te socij credũnt oris habere nihil.
Et quamuis longos habeas digitosq. pedesq.
Quilibet ignauas increpat usq. moras.
Magna foues, sed nulla tenes, magno aggere, nullus,
Quodq. magis mirum imberbis es & medicus.

AD. IVLIVM. PASINVM

QVas mihi tribuis Pasine laudes
Multo te melius decere uisum est,
Vt ex carminibus tuis probatur,
Doctis Iuppiter, atque amore amandis
Maximo. at Triuisano habebo grates,
Qui de me loquitur periculosa haec,
Et ludit toties misellum amicum?
Nullas, sed foret improbus uocandus.
Namque olim studium nouem sororum
Totis me hercule sensibus fugaui,
Me negocia distinent amara,
Vrbs haec mi nimis ingrauat dolorem,
Molestissima mi domus tyranni est,

Musae pernicies domus tyranni.
Ah ferus, canis hic agros bisulcat,
Languentem tamen omnibus medullis
Me quidam tetricus diu perurit.
Et meros animi colunt camoenae
Lepores, amat ociumq. Apollo.
Ergo si faciem meam uideres,
Nosses ex facie eruditionem.

AD ACHILLEM ZAMBECCARIVM DE Desiderio

TE ACHILES mihi neminem aptiorem
Vindicem scio, qui nimis proterui
Nunc desiderij improbi, & maligni
Pellat usq. superbiam nocentem.
Heu Desiderius ueneni amator,
Amator scelerum impudentiorum,
Omnium pater esuritionum,
Tam negocium atrox mihi facessit?
Me iniuste lacerat? miser fatigat
Amatos Clario Deo poetas?
Cessas anguineo Megera crine
Hunc Hunc ferreis cedere flagellis?
Ah quassare faces in ora cessas?
Vix paenas scelerum daturus umquam est
Achilles, nisi tu manu potenti,
Tu clauam arripias, caputq, noxium
Ingenti sonitu breui retundas.

DE. ALEXANDRO. MAGNO. ET Caesare Augusto.

Magnus Alexander terris, populisq. subactis,
In dubio, quid mox exequeretur, erat.
Augustus postquam toto fuit orbe potitus,
Hoc; dixit maius iam mihi surgit opus.
Maius & ingenium, maiores postulo uires,
Non etenim tantum uincere, quam regere est.

AD. AVLVM. BREVIARIVM

Dum petit insidijs te Paullus nocte silenti,
Praeclaram factis demetit ense manum,
Ipse ruis medios expers terroris in hostes,
Voceq. terrificas, pectore & AVLE fugas.
Multi esto vincent hostes sudibus, face ferro,
Qui queat absque manu vincere nullus erit.

AD. AVLVM. SEMPRONIVM

Carmina si nostra haec Vincētius iprobat Aule,
Nil moror, ipse etenim carmina nulla probat.

AD. ANTONIVM Lomelinum

Altisoni Lomeline Iovis non ultima cura,
Flos patrū, sacraeq. urbis spes maxima Romae,
Numquam defuerint meritis si praemia digna.

Quam uellem de te subtexere carmina, Phoebus
Si modo Pieriam me ad sacram sisteret umbram,
Et sineret fronti uiridem decerpere laurum,
Inciperem uarios partos tibi dicere honores;
Vt uis nulla animum recto deducere, ut ulla
Ignaui haud potuit capere assentatio uulgi,
Vmquam decepit nec habendi caeca cupido;
Aut lenis ignaui, uel uani gloria facti:
Et canerem quae magna manēt monumēta laboris,
Seu regere imperijs urbes, populosq. feroces
Iustitia, eloquioq. tuo compescere suetus;
Seu dum consilio mortales iuueris omnes
Verum ego, cum uidear fortunae turbine uolui,
Iussa aliena sequens, caeco & suffecta ueneno
Inuidia expellat me Pindi à collibus altis,
Nec minimam partem laudum narrare tuarum,
Nec famam ualeo inseruisse micantibus astris,
Ah quanto melius, quantoq. beatius esset,
Hoc spatium uitae laeto traducere agello,
Splendida quam pario pendentia marmore tecta
Incolere, atq. aula semper nutririer aurea.
Namq. ibi permultae discerpunt pectora curae,
Dum capimur rutilo Romanae lumine mitrae,
Multorum insidias, fraudesq, subire necesse est.
Scilicet hoc laudi debes pater optime tantae
Praecipue adiunxisse tuae, cum uana perosus
Que uulgus ueneratur iners, pulchro ocia carpis
Tuta suburbano, latij totius ocello,
Et celebri docti mansuro carmine Blosi.

Quid tentas rugosa genas, tibi lilia, Adonim,
Fucum, & gemmatum poscere reticulum?
Crede mihi haud turpi prosunt pigmenta figurae,
Turpiaq. ornatu corpora perdis anus.

IN. GVALTERIVM Folietam

IAm Folieta uago totum pede circuit orbem,
Et semper sanae non fuit Anticyrae.

AD. MVSAS VT. CAESAREM. GALLVM Adeant.

MVsae, mi faciles, & obsequentes,
Adeste hendecasyllabis, iocisq.
Natalis meus est, io sorores,
Io dicite, & usque, & usque, & usque.
Aestatem hanc mediam meae iuuentae
Laetae dicite, nunc bene ominatae
Corpori, atque animo, bonisq. uitae.
Vultis plenius, & magis beate
Plectra tangere barbiti sonori?
GALLVM quaerite, qui est decus canendi,
Cui stillant Aganippidos fluenta,
Hunc & munditiae fouent, Venustas,
Huic rident Paphiaeq. Gratiaeq.
O quot gaudia, quot modos, iocosq.
Vobis quam segetem osculationum
Ministrabit, & elegantiarum?

O lux candida, & aurea, & relucens,
Et magis nitida, & magis relucens,
Si GALLVS canet hunc diem, simulq.
Choreas celebrabit. ipse namque
Est potis dare mi dies perennes.

AD. IVLIVM. MONACHVM CARAPHAM. & Io. Baptistam Garganum

O Vos, qui ambrosias dapes, penates
Accestis nitidos Iule, Iane,
Si oestro concitus huc eo, relicta
Vrbe, nec minus inclytis amicis,
Factum tam cito mi quid improbatis?
Quis quoeso potuisset abstinere
Isti tam celebri, grauiq. honori?
Auleis, domibusq. sumptuosis?
Sat uires, sat opes, sat astus omnis
Sunt uiro, fateor, nihil latet me,
Et haec singula mors acerba perdit,
Dura falce metit, necatq. saeua,
Et quod tartareis trahit tenebris.
Cuncta confiteor, manentq. uera,
Mente si cupimus nimis tenaci.

Glyconici

AD. IACOBVM ZACHEVM

TE urget cura scientiae,
Qua supra ingenium uoles?

Ad caelum cupis euehi?
Turpem segnitiem amoue.
Regnum destruit haec lues,
Desunt funere litterae hoc,
Cum te te illecebrae, ocium
Inuadunt, nihil amplius
Curabis bona Pallados.
Iam te polliciat fauor,
Virtutis studium graue,
Iam te gloria, praemia.
Pertentent tua pectora,
Errorumq. licentiam
Solers pellito, & impiger.

Emulatio cuiusdam poematis

D*Electant picti flores, frondesq. uenustae,*
Atq. Alijs praebẽt herbaeq. auraeq. leuamẽ,
Antraq. securam fundunt per membra quietem,
Arma queunt, arcusq. animo depellere curas;
Et prosunt umbrae, dulcedine aquaeq. salubres,
Discutit angoresq. graues spirabile caelum.
Heu nostram uitam quod lassam nil iuuat umquam
Flos, frons, herba, aura, antra, arma, arcus, umbra, aqua, caelum.

Inferiae ad Iacobae matris Tumulum

P*Erfusus lacrimis pectus quae tristia mitto*
Carmina pallentis matris ad inferias,

Immensum gnati memorem testentur amorem,
Testentur moesta pectora tunsa manu.
Atq. iterum Doralis flauos laniata capillos
Muto nequicquam munera det cineri:
Europeq. genis non parcat, mater ademptam
Te saepe ingeminent, sidera saeua uocent.
Viuebas rectiq. tenax, grauitateq. lenis,
Inter utrumq. decor, uirgineusq. pudor.
Nil dictu foedum, nil quod temerare puellas,
Aut posset pueros sancta referre dabas.
In te cana fides, prudentia magna uigebat,
Consilium, ac dubijs casibus ingenium:
Et tibi quae nomen pietas tutissima seruat,
Quodq. tibi partum est relligione decus.
Visebas tu nuda pedes sacra templa deorum,
Dum rigèt acris hiems, dum premit arua gelu.
Diceris hinc hausisse genu atri Semina morbi,
Atq. ita tabifico uicta dolore cadis.
Sed pia quod cadis, aethereo pia surgis Olympo,
Haec fuerant Caeli templa colenda tibi.

AD I. ANTONIVM Radium.

SI tristem mihi, siq. Luctuosam
Vitam uiuere Iuppiter dedisset
Et Roma procul, & procul Camoenis,
Dedisset gelidis RADI his in oris,
His secessibus inuijs, opacis,
September fuit horridus December,

Terra torpuit & gelu, & pruina,
Et uites aquilonibus, notisq.
Et niue obriguere, & hinc Lyaeus
Sicco gutture protinus recessit.
Hirsutos adeo, hispidosq. sentes,
Pro molli uiola, rosaq. odora.
Interdum obueniunt tamen iocosae
Nymphae, candidulaeq. blandulaeq.
Haec pulsat Crotalum puella, at illa
Magis barbiton increpat, choreas
Exercens alia ustulat medullas.
Sed si è carceribus, repagulisq.
Profundo è puteo egredi licebit,
Libertas erit usq. comparata.

AD. LAELIVM. VBALdinum.

O qui Iessaei caelestia carmina uatis
Tam docta latiae concinis arte lyrae.
Qui regum, qui facta patrum plectro aedis eburn.
Qui sanctos gaudes sanctus inire choros.
Enthaea Verbigenae promas mysteria, Laeli,
Emittasq. senis dogmata legiferi.
Cetera subuertunt uel tristia bella, uel ignes.
Haec sacra sunt nulla deperitura die.
Nil timeas dentesq. Canum, morsusq. malignos,
Non nocet aethereis liuor acerbus iners.

I. HIERONYMI CATENAE POEMATVM

Liber Quinctus

DE CLAVDIA RANGONA



Vaeris imperium uidere amoris,
Quaeris Idaliũ, Citheraq. alta,
Quaeris consiliũ, fidem, pudorẽ,
Quaeris pernitidos, nigrosq. ocellos,
Quaeris purpureas genas, capillos
Quaeris candida colla, pectus, (artus
Quaeris compositum latus decenter;
RANGONA potes haec uidere in una,

IN LVCIAM

LVcida lucidibus mea Lucia lucet ocellis
Phoebeaq. magis Lucia luce nitet.
Occultant Phoebi liuentia nubila uultum,
Vmbriferae solem noctis opaca tegunt.
Ex animis nubes pellit mea Lucia uultu;
Candida nigrenti Lucia nocte micat.

AD. PAVLLVM. PA
rauicinum

OMnibus auxilio es, tenues nec spernis amicos,
Sed uis officijs usque iuuare tuis.
Tum quoties uoti minus est sententia compos,
Excruciant animum cura, dolorq. tuum.
PAVLLE quidem est etiam multorum uelle iuuare,
Sed uelle, ac semper posse iuuare, Dei est.

AD. LANCILLOTTVM.
Lancillottium

TE tenet Argiuis Ancon habitata colonis
LANCILLOTTE meae maxima pars animae.
Et pulchras inter lauros à collibus altis
Hauris Adriaci litora rauca maris.
Nos autem montis frondenti in uertice Iani
CLEMENTIS colimus regia tecta sacri:
Hinc oculos, animumq. urbis nos pascimus alto
Prospectu, & tristes florida prata iuuant.
Aequora perq. agri sinuoso flumine currens
Afficit hinc Tibris pectora laetitijs.
Non tamen ulla magis ferrem solatia menti,
Quam possem tecum dulcia uerba loqui.
Non te fucatò Anconos trahat Ore uoluptas,
Nec capiant portus ostia pulchra diu.
Nam minor est Ancon, quam ciuis, et ipse sacerdos
Romanus leuibus distat ab Argolicis.

AD. IOANNEM. FRANCIS cum. Bonomum

Bonomé, optime, & omnium bonarum
Artium bene cultor, aegra postquam
Membra debilitantur, aestuantq.
Ipso lethiferi furore morbi,
Quam bene, ac sapienter his adesse
Decernis placidissimis in oris,
Vt puro, ac tenui fruare Caelo,
Amouens medicaminum uenena;
Quis praecordia saepe deuorantur.
Hic mollem uiolam, Ocymum, rosamq.
Tellus, auraq; parturit Fauoni,
Non desit cucumis, Liaeo amoeni
Colles, Palladi non honos negatur.
Hic Phoebus residet, lyra canitq.
Culta carmina, quîs repellit omnem
Curam, & sirion, atque amarulenta
Docet dulciculo eluisse cantu.
Is tibi cytharam dabit canoram,
Qua fundens numeros, iocosq. molles,
Possis tabificum fugare morbum.

AD. FABIANVM

QVod uestes neuere meae Fabiane sorores,
Ducentes agili stamina torta manu.
Risit eas magnis tua iam gannitibus uxor,
Omneq. Lanificum Palladis odit opus.

Quid credam? mulier fuit haec non persica, numquã
Stamina deduxit lanea laena fuit.

CELEBRAT. MVNERA Neaerae

MVsa Parnassi bijugi uireta,
Linque, & auratam Cytharam resumens
Laudibus magnis celebra Neaerae
Dona puellae.
Gratijs iunctis uenias amorum
Mater, & pulchris Ericina nymphis,
Huc ueni matris geminae Cupido
Gloria duplex.
Aetheris uasti super astra pexam
Tollite & uestem, niueumq. soccum,
Dulcis, ac in me facilis Neaerae
Pignus amoris.
Ipse dum uestras choreas amabo,
Dumq. me Phoebus per opaca Pindi
Ducet hoc multas celebrabo amicae.
Carmine laudes.
Nunc canam blandos, nitidosq. ocellos,
Nunc genas tinctas minio, patentem,
Lucidam frontem, niueumq. pectus
Oraq. Sicca.
Nunc amicum Dijs animum, benigni
Gratiam uerbi, Veneresq. & illam
Qua uiros uincit sophiam, beatum
Ingeniumq.

Te canam semper mea lux Neaera,
Et meae vitae columen, leporq.
Tu meus primus fueris, meusq.
Vltimus ardor.

AD. TICINEN

DVm siccas madidos puella crines,
Qui spirant Cyprios, syrosq. odores,
Et Venus stupet, & stupet Cupido,
Sol currus medio polo moratur
Spectans Lucidulam, comam repexam,
Longam, & aureolam, huc & huc uagantem:
Ne uelis Ticine amplius uagari,
Passum lux mea subliga capillum,
Nam diuûm uereor dolos, rapinas,
Nam manus timeo inuidas, dearum,
Ah caue ne homines uoces ad arma,
Atq. uras simul impotente flamma,
Hos uelo, colligaq. uitta
Nam tot spicula sunt, faces, ucruta,
Ac per tempora quot fluunt capilli,
Tot sunt hei misero mihi Catenae:

AD. HIERONYMVM
Vbaldinum

NYmpae, quae colitis uirides Crystalla p umbras,
Formosae, & gelido curritis usq. pede,

Excipite, egregia fessus cum Palladis arte
Flos iuuenum uisens marmora uestra petit,
Pellite letiferum candentis pectoris aestum;
Doctaq. muscoso proluite ora uado.
Sic non cedetis doctis Agganipidos undis,
Miscentes dulci quod fluit eloquio.

IN. MEDICVM

QVamquā permagnis efflas tua carmina buccis,
Te socij credunt oris habere nihil.
Et quamuis longos habeas digitosq. pedesq.
Quilibet ignauas increpat usq. moras.
Magna foues, sed nulla tenes, magno aggere, nullus,
Quodq. magis mirum imberbis es & medicus.

AD. IVLIVM. PASINVM.

QVas mihi tribuis Pasine laudes
Multo te melius decere uisum est,
Vt ex carminibus tuis probatur,
Doctis Iuppiter, atque amore amandis
Maximo. at Triuisano habebo grates,
Qui de me loquitur periculosa haec,
Et ludit toties misellum amicum?
Nullas, sed foret improbus uocandus.
Namque olim studium nouem sororum
Totis me hercule sensibus fugaui;
Me negocia distinent amara,
Vrbs haec mi nimis ingrauat dolorem,
Molestissima mi domus tyranni est,

Musae pernicies domus tyranni.
Ah ferus, canis hic agros biulcat,
Languentem tamen omnibus medullis
Me quidam tetricus diu perurit.
Et meros animi colunt camoenae
Lepores, amat ociumq. Apollo.
Ergo si faciem meam uideres,
Nosses ex facie eruditionem.

AD ACHILLEM
ZAMBECCARIVM DE
Desiderio

TE ACHILES mihi neminem aptiorem
Vindicem scio, qui nimis proterui
Nunc desiderij improbi, & maligni
Pellat usq. superbiam nocentem.
Heu Desiderius ueneni amator,
Amator scelerum impudentiorum,
Omnium pater esuritionum,
Tam negocium atrox mihi facessit?
Me iniuste lacerat? miser fatigat
Amatos Clario Deo poetas?
Cessas anguineo Megera crine
Hunc Hunc ferreis cedere flagellis?
Ah quassare faces in ora cessas?
Vix paenas scelerum daturus umquam est
Achilles, nisi tu manu potenti,
Tu clauam arripias, caputq. noxium,
Ingenti sonitu breui retundas.

DE. ALEXANDRO. MAGNO. ET Caesare Augusto.

Magnus Alexander terris, populisq. subactis,
In dubio, quid mox exequeretur, erat.
Augustus postquam toto fuit orbe potitus,
Hoc, dixit maius iam mihi surgit opus.
Maius & ingenium, maiores postulo uires,
Non etenim tantum uincere, quam regere est.

AD. AVLVM. BREVIARIVM

Dum petit insidijs te Paullus nocte silenti,
Praeclaram factis demetit ense manum,
Ipse ruis medios expers terroris in hostes,
Voceq. terrificas, pectore & AVLE fugas.
Multi esto vincent hostes sudibus, face ferro,
Qui queat absque manu vincere nullus erit.

AD. AVLVM. SEMPRONIVM

Carmina si nostra haec Vincẽtius iprobat Aule,
Nil moror, ipse etenim carmina nulla probat.

AD. ANTONIVM Lomelinum

Altisoni Lomeline Iouis non ultima cura,
Ilos patrũ, sacraeq. urbis spes maxima Romae,
Numquam defuerint meritis si praemia digna.

Quam uellem de te subtexere carmina, Phoebus
Si modo Pieriam me ad sacram sisteret umbram,
Et sineret fronti uiridem decerpere laurum,
Inciperem uarios partos tibi dicere honores;
Ut uis nulla animum recto deducere, ut ulla
Ignaui haud potuit capere assentatio uulgi,
Umquam decepit nec habendi caeca cupido;
Aut lenis ignaui, uel uani gloria facti:
Et canerem quae magna manet monumenta laboris,
Seu regere imperijs urbes, populosq. feroces
Iustitia, eloquioq. tuo compescere suetus;
Seu dum consilio mortales iuueris omnes
Verum ego, cum uidear fortunae turbine uolui,
Iussa aliena sequens, caeco & suffecta ueneno
Inuidia expellat me Pindi à collibus altis,
Nec minimam partem laudum narrare tuarum,
Nec famam ualeo inseruisse micantibus astris,
Ah quanto melius, quantoq. beatius esset,
Hoc spatium uitae laeto traducere agello,
Splendida quam pario pendentia marmore tecta
Incolere, atq. aula semper nutririer aurea.
Namq. ibi permultae discerpunt pectora curae,
Dum capimur rutilo Romanae lumine mitrae,
Multorum insidias, fraudesq, subire necesse est.
Scilicet hoc laudi debes pater optime tantae
Praecipue adiunxisse tuae, cum uana perosus
Que uulgus ueneratur iners, pulchro ocia carpis
Tuta suburbano, latij totius ocello,
Et celebri docti mansuro carmine Blosi.

Vnde tibi uiolae, & ferruginei Hiacynthi
Surgunt, laetificis pubescit foetibus arbos,
Pan ubi perpetuo calamos inflare canoros,
Et nymphas accire solet. Faunusq. uirenti
Valle sedet, collisq. pater per dorsa Lyaeus,
Pampinea semper redimitus tempora fronde,
Educit raros grauida tellure liquores.
O dulces aurarum animae, quae murmure blãdo
Hinc, atque hinc flantes alimenta paratis amoeno,
Et laeto nemori, curas lenite molestas,
Atque ibi permolles fessis praebete sopores.
Vos, o uos gelidi fontes crepitante reflexu
Lympharum, saluete boni, per grata uireta
Ite citi, atque aestum, torret dum sirius agros,
Pellite, tum circum bibulas intrate latebras.
Non deerit uobis solers Lomelinus opacae
Ducere mox late hinc, atque hinc per uiscera terrae,
Muscoso subter pendentia fornice tecta.
Inde caput uiuis lacubus condetis in altis,
Quis uada colludunt uitidi per nitrea pisces.
O mihi si propter uos carmina condere in aunis
His teneris, musis genialibus usq. daretur,
Parui ego Pactolus fuluas quas ructat arenas
Tunc facerem, populi optatam plaudentis & aurã.
Istic nam canerem lucentia sidera caelo
Pleiadas, Arcturum, aut terris Oriona minantem
Perspicere, & quo se ipsa ferat uaga Luna meatu,
Tantaq. uis quare radijs solaribus insit,
Quo rerum euentus manent, quid fata gubernent.

Verum ipse interea Musis, & Apolline digno
Magne pater, genioq. loci laetere, & agello,
Quo possis uarios tibi iam releuare labores.
Ac laudabilibus noli desistere coeptis
Indocti pendens floci comercia uulgi.

AD. CLEMENTEM. MONILIANVM
Cardinalem. Araecaeli

MAgne pater, leges primum, diuinaq. iura
Debebant, pietas, relligioq. tibi,
Vno cuncta simul quod clausa uolumine paruo
Sunt tibi, quae sparsim tot docuere patres,
Singula nam carpis studio selecta fideli,
Vt uarios flores sedula libat apis.
Nunc magis, atque magis debet sacer ipse Senatus;
Diuitior quod sit quam fuit ante liber,
Addere quod placuit, caelebs, purusq. sacerdos
Vt peragat sancti mistica sacra Dei.
Quod peccatorum quae sint discrimina pandis,
Vt nihil uberius lector habere queat.
Vt monumenta legens multo uigilata labore
CLEMENTIS, dicat, sic mouet Ora Deus?

AD. HORATIVM.
Massarellum

QVod sibi per Paullum Continus uiderit Aeglen
Vxorem in somnis tetra uenena dare,
Allia, serpillumq. parat tum Semina capi
Colligit, ut praesens ebibat antitheton.

Maſſarelle probas factum, ſed ego nego factum
Eſſe uiri, in quo ſit paruula mica ſalis.
Nil Paullum ille quidem caueat, tetrumq. uenenũ.
Sed Paulli caueat inguina ſaeua magis.

AD. MARIVM.
Podianum

CVm Paullus mihi docte PODIANE
Virtutesq. tuas, tuosq. honores,
Mores, ingeniumq. praedicaret,
Ignem incredibilem tui uidendi
Excitauit amoris, ut uidere
Te uellem mage, quam ſuas amicas
Amantes cupiunt ſatis, ſuperque
Fortunatus ero, & beatus ipſe,
Si te conciliem mihi profecto
Hoc erit mihi pluris aeſtimandum
Theſauris Arabum, Indiaeq. gazis.
Ergo carmina tam uenuſta condis?
Et docta fide riuulos moraris?
Et cautes trahis, & nemus, ferasq.?
O mihi liceat tuis camoenis
Frui, colloquio, facetijsq.
Et docta ſimul inſtitutione.
Huc accede MARI ad lares diſerti
Paulli, & nos hilara tuo lepore.

DE. CHRISTIANO.
Sacerdote

FESTA Deûm quondam stulti coluere parentes,
Ara fuit Casio uana dicata Ioui.
Caeruleum regem tauro est uenerata uetustas,
Traditus intonso est Hircus Iacche tibi.
Et placauit equo demens Hyperiona Persis,
Cornipedi fauno caesa capella fuit.
Nunc autem non exta Deo, non uana paratur
Hostia, at in noto gramine uiuit ouis.
Non pecudum fibrae, aut taurorum uiscera flammis
Dantur, sed colitur mente, animoq. Deus.
Vera patent, uerumq. patrem ueneramur, ad aras
Descendit, nostras audit & aure preces.
Falsus erat Panthus, falsus triuiaeq. sacerdos,
Verus nunc sacris ipse minister adest.
Mortua fingebant pauca illi marmora, & aera,
Quottidie hic uiuum conficit ipse Deum.

AD. MICHAELEM.
Dolleram

DOLLERA. te Martis castra insidiosa fatigant?
Nunc & in aduersos te piget ire globos?
Non ne uides quot in arma ruant fera pectora bello
Thraces, quam saeuus ingruat inde furor?
Eia age sumas arma citus, galeamq. comantem
Magnanime, & nostris, quam potes, affer opem,
Quid facient, dices, contra tot millia pauci?

Non hostis numero uincitur, ille animo.

IN. PONTICVM

IRasci noli, si nunc tibi Phyllida praefert
Coelius, in capitis lite Minoris aui.
Teq. marem clamas, & binis testibus esse:
Mas es confiteor Pontice, sed malus es.

AD. BONVM BONIVM

O qui nomine, re, bonaq. iuris
Doctrina es bonus, o decus bonarum
Artium bone, Iuppiter bonus cum
Videret male sensa pulchra legum
Exponi, inquit, erit bonum necesse
Virum deligere, ut tenebricosa, &
(Post tot Italiae malas ruinas)
Abstrusa hic bene iura iam recludat.
Delegit te igitur, qui & eleganter
Doctrinam, & bonitate singulari
Explanas, ut eam labore nullo
Te docente queant ineruditi
Nunc intelligere. Ergo iure tota
Roma, Gallus, Iberq. Sarmataeq.
Te Germania, & ultimi Britanni
Laudabunt, & ad astra clara tollent.
Quare possimus est Bonum legentem
Qui nunc carpere amat. Sed hos amicos,
Nos omnes Bone legibus beatos
Precamur facias, bonosq. reddas.

AD. MILEM. PISTRICEM

HVmanae es uitae Pistrix intenta iuuandae,
Munifica & cunctis das alimenta uiris;
Vt serues corpus noctesq. diesq. laboras,
Nec cessas niueas sollicitare manus.
Ipsa perire meum cernis corpusq. animamq.
Dulce tuum nec das candida Milis opus.
Ah nimium uere Pistrix, nimis effera Pistrix,
Immeritum quae me dilaniare studes.

AD. AVGVSTINVM.
Laparinam

DIc o Pirithoo, proboq. Theseo
Praeferende uenuste Laparina,
Non te iurgia, litigantiumq.
Clamores, pauidi rei, & clientes
Satis sollicitant? Quid ergo poscis
Tot praetoria iura? tot seueros
Fasces? cur animum leuare curis
Iam non incipis, & laboriosum
Non linquis forum, & improbas querelas?
Nunc uersus age melle dulciores
Fingas, nunc reuoces nouem sorores,
Atque albis lateas diu papillis
Furtiuae Veneris tuae: Senectus
Leges, iuraq. Caesarum ministret.

AD. BERNARDINVM
Iacobillum.

BErnardine, tibi sunt munera sacra dearum,
Aonii montis quae iuga summa colunt:
Est acre ingenium, grauitas, facundia, amicis
Largus es, & miris auxiliare modis.
Gratiaq. est tibi, diuitiis nunc affluis amplis,
Vt ditem valeas exuperare Midam,
Non tamen esse bonum uere es ratus illud, iniquae
Fortunae quoniam pendet ab arbitrio.

AD. ANTONIVM. CASTELLINIVM
Brasichellensem.

ANtoni Aonidum lepor sororum,
Amator quoq. carminum meorum;
Quam sit dura mihi puella disce.
Quando visum eo, linteis ocellos
Obtigit fera, ne videre possim;
Et me tam faciunt beatum ocelli,
Quam cum non uideo, opprimunt misellum.
Et cum dicere conor, Ah puella
Meum suauiolum, meum leuamen,
Meae deliciae, melosq. nostra
Corda, nequitiae, sales, lepores,
Protinus fugit, vt repente uisus
Serpens esset, & hydra, cerberusue.
Quantumuis fuge mobilis proterua,
Quantumuis tege perfidos ocellos,

Tanto te sequar & magis magisq.
Tanto non oculos uidens videbo.

IN. OBITVM. M. PLVTIONIS Neapolitani.

PRofuerunt non ulla tibi auri pondera fului,
Cum rupit uitae stamina parca tuae.
Nascentem placidis numquam te vidit ocellis
Quae clarat uates Calliopea suos.
Lethaeas igitur tetra caligine pressus
Ibis aquas, remanent nomina nulla tibi.
Vade age thesaurum condas tellure sub ima,
Ecce tui spolium Plutio Plutus habet.

AD. BARBARAM. SANSEVERINAM Salae Dominam.

DVm sic BARBARA carmina inuenusta
Extollis mea, te tuis uenustis
Tollis carminibus, tibiq. honorem
Fontis Castalij praeoccupasti,
Quo sappho micuit, Myto, & Corinna,
Argentaria Polla, docta Agacle.
Ipse conficior dolore, ut omne
Desit cor, animusq. spiritusq.
Nec cibum capit os, soporem ocelli,
Respondet mihi nec uocata Clio,
Nec sponsas patior, iuuenculasq.
Atq. anus catulire, virginesq.
Totus torqueor, opprimor, peruror.

En totum caput ut grauedinosum
Albicat mihi, barba tota, ut ora
Pallorem, maciemq. praefigurant.
Non sum, non ego, quem putas Catenam,
Ille heu occidit, heu iacet sepultus,
Sum tantum illius umbra, & umbra inanis.
Illud Idalis, illud heu fera, heu heu
Patrauit scelus ex uagis ocellis,
Oscillo ex roseo, atq. purpurillo
Sublustri, teneroq. lacteoq.
Ex sinu Ticines, & ex eburno
Collo, ex suauiloquo modo, ex lepore,
Atq. ex fronte diespiter serena.
Sortem hinc defleo, & hinc acerba fata,
Hinc suspiria, & omnia aegra, & atra,
Hinc fontes lacrimarum, & hinc dolorum
Acerui, hinc Acheronta, & hinc tenebras,
Hinc manes, Lemures cio, & barathrum
Cum sit nil reliqui mihi salutis.

DE. POMPEIO
Hispano

DVm Glicere scortum Pompeium millia poscit,
Nec dare delicias posse minoris, ait.
Ipse cupidineum exoptans saturare furorem,
Imperat in uitreo meiat ut ante scypho,
Lotia tunc subigens, geminat suspiria, dicens
Cum nequeat carnes, iuscula pauper edat.

DE. PHYLLIDE. ET. AMILCONE

Pro. I. Franc. Guadagnolo

AVreus ardebat formosam Phyllida Amilcon,
Atq. dabat certi foedera coniugij.
Inuidit quidam stolidus, qui mente maligna
Fecit amatoris irrita uota probi.
Sed te, qui optatos iuuenis seiungis amores,
Disperdant superum numina cuncta deum.
Te feriant homines passim, tibi terra dehiscat,
Atq. neget lumen sol tibi, pontus aquam.
Vxor adulterio uulgi se dedat aperto,
Sit soror impuris consocianda uiris.
Et cadat ante pedes confectus tabe, fameq.
Filius, & tellus urgeat ossa patris,
Vrgeat & matris, nec sis miserabilis ulli,
Mendicaq. petas saepius aera manu.
Teq. nepos, uerum sero, tuus ense ferire
Noscat, & inuento gaudeat ille suo,
Mortuus iniecta nulla tumuleris harena,
Nec sit qui praestet manibus exequias.
Sexcentum erres annos, post te falce rapaci
Ducat ad infernas pallidus Orcus aquas.

AD. NAPEM. SIMPLICIAM

SEgmenta, & tyrio saturatas murice pallas
Induis, o crines comere docta Nape.
Sic mihi suspecta es, sic mendas occulis ipsas,
Exue, namq. places simplicitate magis.

AD. PRESBYTERVM
Amicum aegrotantem.

STamina ne Lachesis rumpat properata vereris,
Ne timeas, pignus posteritatis habes.

AD. RAINALDVM. CORSVM

DVm pietas, dum cana fides seruabitur, ipsa
Relligioq. Deum non labefacta cadet.
Dum scelus exilium luet, & dum Iuppiter omnes
Impuros merito conteret exitio.
Te Rainalde omnis uenerabitur Ausonis ora,
Romaq. dicetur facta beata magis.
Ipse etenim & rerum causas, & mystica sacra
Nosti, & quae caeca nube latere solent.
Felix, naturae potuit qui discere mores,
Et cui, ter felix, occulit ipsa nihil.

HYMNVS

AD. DIVVM. BENEDICTVM

HVc ades summis Benedicte ab oris,
Dum tibi carmen modulor, sacrisq.
Dum fauent ciues, hilarata dumq.
Nursia plaudit.
Et tibi doctae puero sorores
Ora replerunt helicone sancto,

Et tibi primum placuit magiſtras
Ire per artes.
Diua tu mecum o Erato relicto
Nunc uelis pindo gelido uagari
Per ſacras laudes, & inane olympi
Currere apertum.
Primus hic noſtram properare ſanctos,
In choros gentem docuit, ſuperbae
Hic fuit primus latiae uocatus
Gloria gentis.
Hic tulit Chriſto innumeros triumphos,
Hic manus ſaeui ſuperauit hoſtis,
Hic malo praedas inimico ademit
Saepe cruentas.
Non datum caecum nocuit uenenum,
Non Venus caſto nocuit nefanda,
Nulla conſtanti nocuit uoluptas,
Non ſitis auri.
Quid canam, quando puerum peremptum
Pergraui muri ſubita ruina
Ex nigris uerbo reuocauit ipſis
Faucibus Orci?
Alterum tractum fluuiali ab unda
Liberat Mauri manibus, per ipſas
Qui ambulat lymphas, liquidumq. tranat
Cum pede ſicco.
Quid canam omni tot memoranda ſeclo
Facta, uel cum fons olei refluxit
Amphora, montem uel ubi irrigauit

Lympha repostum?
Vos mei ciues date tura, & aras
Ponite huic diuo, choreas puellae
Nectite, Eois opibus rigentes
Sumite uestes.
Vos pij festa religate fronde
Tempora, & circum pueri coronas,
Floribus textas, uariosq. ueris
Spargite honores.
Pectine arguto tetigisse neruos
Nunc iuuet, neruis numeros referre,
Nunc doce nostros resonare montes
Nursia diuum.
Hunc poli nostrum geniale sidus,
Gentis hunc nostrae decus omne, grato
Facto, & arguto ueneremur ore,
Cordeq. puro.
Vt procul pellat fera bella, amorem
Caedis in ciues, odiumq. dirum,
Et frui longa placida quiete,
Paceq. donet.

AD. PERHILLAM
Regiam

Regia non cessas flauos medicare capillos,
Atque tuas fuco pingere stulta genas.
Pectora nunc ornas, speculum nunc consulis ipsum,
Nunc tibi, nunc oculis non facis ipsa satis.
Tu male auaritiae audis foedo crimine in urbe,

Accumulas, quamquam est grandis aceruus, opes,
Non mirum mulier tota es, perfectaq. non sunt
Mollis naturae Regia iura tuae.

AD. BARBARAM. SANSEVERINAM

Salae dominam. dum aegrotaret.

SI candens ebur, & paphios si uincis olores,
Siq. magis rutilo BARBARA sole micas,
Nullis te poterit nox importuna tenebris
Laedere, uel nigris Persephone facibus.
Tu nosti horrificam sub tartara pellere noctem;
Et iacere in matrem lampadas Eumenidum;
Nil orcum timeas; aperis dum lumina, tetrum,
Namq. tuos oculos pallidus ille fugit.

AD. XISTVM

SCribis ephemeridas, duplicas & nomina Xiste,
Maiores Pluto scribit ephemeridas.

AD. PONTINIAM

VVltur es, exhausti quod amas moribũda Camilli
Mẽbra, quod immerito uiscera nostra uoras.
Sed sine natorum Pontinia prole futura es,
I, nunc caucaseas hinc imiteris aues.

IN. MATHONEM

Grammaticum

A puero docuisse Matho fers Arma uirumq.
Nec quidquam ingenio doctius esse tuo.

Ac te Romanis graiam dictasse camoenam
A puero, iactas per fora, perq. domos.
Si te Romani à puero uidere docentem,
Quando uiderunt te didicisse Matho?

HYMNVS.
AD. DIVAM. MARIAM

Afferte his aris redolentia balsama sacris,
Ingerite accensis mascula tura focis.
Haec viridi lauro, & croceo loca cingite acantho,
Et tegat hanc totam flos hyacinthus humum.
Dicamus bona uerba, dies nam festa reluxit,
Aethereos scandit qua sacra Virgo choros.
Flumina percuperem uel nunc ego lactea fandi:
Nunc cuperem sanctum pandi Helicona mihi.
Vt canerem choreas caelo radiante peractas,
Multaq. gaudentes gaudia caelicolas
Ac diua ut fruitur uultu natiq. patrisque
Sanctaq. ut aethereus pectora replet amor.
Vt cuncti Mariam terris, caeloq. potentem,
Et nautis fidam per uada salsa ducem.
Concelebrent, metuantq. simul uenerabile numen,
Laudibus extollant nomen ad astra piis,
Testantur, quando haec conuentu saepe frequentant
Delubra, atque aris picta tabella datur.
Sed quia Museo non sunt mea tincta lepore
Carmina, non Mariae dicere facta queo.
Tu mea, tu virgo puerilia q. ora resolue,
Et me Pierio Siste beata iugo.

Consule & afflictis nostris virgo optima rebus,
Vt pede ad has artes liberiore ferar.

AD. ALEXANDRVM. FARNEsium Card. amplissimum

O Sacri decus inclytum Senatus
Farnesi, tibi plurimum fatentur
Debere haec tua secla, q od tulisti
Marones, & Horatios, Catullos,
Qui cunctis tua facta predicarunt,
Experti eximiam benignitatem.
Sed maiora manent perenne seclum,
Manent gaudia sempiterna Romam,
Cum sacrum imperium tibi regendum
Deus tradiderit, quod ipse Apollo,
Et uirtus celebrant, fidesq. Honorq.
Inter purpureos micas galeros
Primus, & reliquos honore praestas,
Vt sol sidera clarus antecellit.
Humanissime nunc sine impetrare
Mecoenas rogo, quod facillimumq. est,
Et dignum bonitate singulari,
Ne sim munificentiae tuae expers.
Sic me perpetuo tibi obligaris,
Sic tibi Deus optimus rependat
Vita maxima dona sempiterna.

DE. MIRLETO. ET.
Isabella. Luna

Mirletum dum irata toro deturbat ab alto,
Romano ludus facta Isabella foro est.
Namque heros iussit pretiosas sumere uestes
Carnificem, & Lunae tecta subire lupae.
Quem subito admisit thalamis, & blandula tota
Nocte fouet, magno nam putat esse lucro.
Hunc lecto excitum sed cogit mane satelles
Exempla in trepidos edere multa reos.
Tunc se delusam uidet, insidijsq, subactam
Sensit delicias se dare carnifici.
Ah clamat solues Praedo mihi sanguine paenas,
Namque uirum quando est femina uicta dolis?

IN. CRVCIANVM.
Iuris. Peritum

Te non immerito Crucianum Mantua dicit,
Cum profers medio iura seuera foro,
Haec bene conueniunt tibi, tantum nomina, summum
Ius tribuens, tribuis tot Cruciane cruces.

AD. RHOESVM. CAE
sium. De. Paullo

Miraris, Paullo nascantur pignora nulla,
Non illum faciat iam sua Galla patrem.
Coniugium licet illorum iuuet altus Apollo,
Et faueant apto Iuno, Venusq. toro.

Omne tamen Caesi sterili Venere exigit aeuum.
Ah inuitam uxorem comprimit ille suam.

AD. ANTONIVM.
Monelianum

ANtoni, tibi gratulor molesta
Te febri caruisse, suauiores
Et cibos fieri, merumq. dulce,
Quis artus recreas siticulosos.
Quid piae ualeant preces uidemus,
Vita quid tua puriter peracta,
Et quid relligio, boniq. mores.
Non enim uoluit pater deorum
Florenti rapuisse te iuuenta,
Tam sanctum caput haud licet uidere
Orci tam cito ianuam profundi.
Da puer cytharam mihi sonoram
Nam uolo superum benignitati
Laudes dicere, restituta postquam
Vita est Moneliano, & haec quotannis
Spondeo celebrare sacra cantu.
Dij uos sed facite hunc pium, & uenustum
Virum uiuere ad ultimam senectam.

IN. LIVIDVM

LIuide te nostros audiui carpere uersus,
Iam nunc esse aliquid carmina nostra puto.

IN. LYGDAM. E GRÆCO

Respiciens silices longò uir marcet ab aeuo
Lygda tuus, ueteres inter habendus auos
Semper edit maluas, mytilum, fungosq. suillos,
Inq. soporifera stertere nocte solet.
At nobis iuuenile femur, faciesq. decora,
Instructa est dapibus mensa opulenta bonis
Ne pereant anni, si uis tu nupta uideri,
Ipsa meo lateri confere nuda latus.

IN. OPVS. LAVRENTII
Gambarae Brixiani.

Hinc Venus, hinc nâtus flebāt ꝑpe Tibridis undas
Amissa in terris iura pudicitiae.
Constricta heu nullo est obscoena licentia nodo,
Quaeque canit uatum turpia lingua procax.
Hic facit iratus Veneri conuicia, Amorem
Arguit ille probri, perniciemq. uocat
Hinc dolor, & uulnus, supremaq. funera Elisae,
Furtaq. Pasiphae, furta Lacaena parat.
Sensit, & indignans exculti carminis author
Gambara, lasciuos non tulit ipse modos.
Tam puro ardentem sed Daphnim lactat amore,
Ac Leucen, ignes dum bibit illa suos.
Vt pueri Idalii famae, matrisq. Dionae
Consulat, Aonidum restituatq. decus.

In Gaspari Coligni interitum.

SI queris cur nulla fides seruata coligno est,
Cum cecidit tanto uulnere? prodiderat.
Post laqueum, post mille neces, post funera, quare
Non potuit templis condier? eruerat.

In Matthaeum Senargam.

PEndet ab ore tuo iuuenis, Matthaee, senexq.
Verbaq. non audet amplius ulla loqui.
Concilio uenisse Deum te credit ab alto,
Sicq. loqui gemmas, sic fluere ore charin.
Patria conspicuis te non tam laudibus ornat,
Quantum tu patriam moribus, & studiis.

AD. FERDINANDVM. MEDICEN
Cum Cardinalis creatus est

ARcentur solio iuuenes, roseoq. Senatu,
His uetitum sacris posse adhibere manus.
At nunc nobilita, tua uirtus, gratia formae,
Ingenium probitas, consiliiq. fides,
Condecorant iuuenes, prorsum sacra purpura leges
Ferdinande hominum dat superare tibi.

AD. IO. FRANCISCHVM, & Antonium Cocchos.

O uos, qui studia artium bonarum,
Et dulces Heliconidum recessus
Amatis iuuenes, nihil labori,
Parcatis ue libris uoluminosis.
Purpurea celebres, togaq. claros
Ciues aspicite, & quid Vrbs honoris
Donet eximijs, uirisq. doctis.
Postquam noxia iam nihil uoluptas
Vos compressit, amorq. turpis auri,
Non marmor parium, Indiaeq. gemmae
Pertentant, bimaris uel aes Corinthi,
Spartaniq. mouent greges Galesi,
Sed choros Aganippidum petistis,
Permessi aurea; gemmea & fluenta,
Tot uos praemia, principumq. fasces
Manebunt, roseis caput coronis
Cingent Castalides, Iouisq. magni
Nato tertice. uterq. fiet inde
Nostri gloria temporis, decusq.

AD. FRANCISCHVM Bandinum.

FIrmiori adamante, puriori
Crystallo renitet tua hinc & inde
Et constans probitas, honestum, & aequum
Bandine, hinc hominum eruditiorum

Coetus

Coetus te ueneratur impotenter,
Ac te Pierides ferunt ad astra,
Ne post funera te nigris fauillis
Inuoluat nimium seuera parca,
Annorum ue tegat malignus ordo.
Immo tu celebris recenti honore,
Magisq. & magis omnibus daturus
Exemplum uenies uerum per ora.

AD. IO. GALEACIVM RO scium equitem

ROSCI *Castalidum, Iouisq. magni*
Illustris soboles, nepos Dionae
Me cepit Ticines nigris ocellis,
Et iussit studio, atq. amore summo
Illos versiculis ad astra ferre.
Per me cum nequeam, beate Rosci,
Et omnis tibi rhetor, & poeta
Cedat, dum loqueris rosas, & aurum,
Da pulchram hanc operam mihi, Camoenae
Sic uelint tibi, gestiantq. semper
Osculum dare roscido labello.

N

I. HIERONYMI CATENAE POEMATVM

Liber Sextus

AD. SCIPIONEM Gonsagam

GOnsaga, Aonides tibi sorores,
Non Clotho, aut Lachesis Dea, Atroposue,
Nentes purpurea colo, aureisq.
Fuscis aurea fila candidorum
Deducunt seriem tibi dierum.
Hinc cultum ingenium, hincq. litterarum
Ornamenta, lepor, boniq. mores,
Oris delicium est, tui hinc amorem
Nostris omnibus excitas medullis.
Iam Pallas tibi gemmeas coronas,
Et nymphe Tyriae ferent amictus
Tinctos murice. Seculum beare
Vt te conspicio, vt referre Athenas?
Sed ne quid videar tibi ominari
Incompto hendecasyllabo hoc inani,
Dent tibi superi omne, quod mereris.

DE. SE. IPSO

IN. PALLADA

IN somnes, diraeq. coquunt mea pectora curae,
Quas in me semper Pallas iniqua feris.
Cum primum teneris colui tua numina ab annis,
Coeperunt fieri fata inimica mihi.
Non ne patris fuerat satius me excellere in arte,
Et cognatorum seria facta sequi?
Quam per te numquam soles spectare serenos,
Aut capere e studijs commoda nulla meis;
Haec donare tuis discis cultoribus? ecquid
Mirum, si infelix noctua iuncta tibi est?

DE. ASCANIO. CORNIÆ

THreiciis Melite tot dum oppugnatur, et Afris,
Et paene aequantur maenia celsa solo.
Ascanius subito Romanis inclytus armis
Occurrens in eos martia castra mouet.
Turcarum trepidare metu dux coepit, & ipsos
Tunc cogens socios, uelivolasq. rates,
Iam cedamus, ait, Romana insignia nosco,
Nosco animos; nosco robora magna ducis.

DE. HIERONYMO. VVLPIO

DOctum, Pieri, Vulpium saluta,
Quaeras hunc tibi uindicem parare,
Magnum quem penes est decus canendi,
Si hunc negocia multa Sfortiarum
Distinent, nimium molesta ne sis,
Inter seria non bene audieris.
Sed si Thespiadum colit recessus,
Ludens illecebras, iocosq. molles,
Securo poteris sinu morari,
Hoc tu uindice sordidam culinam
Vitabis, neque scombro eris cucullus.
At lares dabitur potentiorum,
Vias, & fora tutius uagari,
Vni, si sapis, huic stude placere,
Quod si feceris, omnibus placebis.

AD. VIRGINIAM. HORAtiana imitatio

CRudelis, Venerisq. potens si munere Virgo es,
Sulcabit rugis cana senecta cutem,
Aureolaeq. comae, refugaeq. a fronte peribunt,
Tabescet nitidus pectoris iste decor,
Hispida tum facie cunctis spectabere, dices
Quando te nitido uideris in speculo,
Cur mihi non eadem fuit haec mens ante senectam?
Vel cur his animis non rediere genae?

AD. PAVLVM. TOCCIVM

Est dominae natus, caecusq. puerq. Cupido:
Est puer, & caecus, hic ferit, ille ferit.
Ambo te cruciant, alter sub nomine Paulli,
Alter ferro, in te saeuus uterq. puer,
Tu quoq. fallacis non spectas ora puellae,
Credis adhuc, nimium es caecus, & ipse puer.

DE. CLOELIO. ET. IVNONE
Sorore

Iunonem foribus peccantem vidit apertis
Cloelius, & damnans facta sororis, ait,
Nec Dea Iuno palam complectitur ipsa tonantem,
Te tamen exposito corpore prostituis.
Cui soror, o dilecte meis plus frater ocellis
Haec faciunt homines, dixit, at illa Dei.

AD. PAVLLVM. TRIVISANVM

Cum diu Triuisane in Vrbe cogar
Libris dicere plurimam salutem,
Paene dedidici loqui latine,
Ad haec regia tecta cursitando.
Et iuuenta fugit, meam senectus
Iam frontem parat exarare rugis,
Ipse nil paro prominens in aeuum
Aeternare, Iuua ergo consulendo,

Et omnem excutias mihi ueternum
Paulle, qui es pater eruditiorum,
Quem sinu erudijt Minerua, donat
Cui scribere tam manu eleganti,
Et stilo Cicero latinitatem.
Huc adsis, rogo, nam quiete dulci
Omnia eluam amara, doctiorem
Me reddes quoq. collocutione.

AD. PAVLLVM. MANVTIVM Aldi F.

PAulle gloria Romuli nepotum,
Qualem, secula post tenebricosa,
Apollo radians ab ultimo Indo
Numquam uidit ad ultimum Britannum.
O si dent mihi Caelites, ut ipse
Tecum uiuere, & ocio in beato
Soles condere collocutione
Possem, diuitias, domus potentum
Non putarem equidem pili aestimandas.
Namque barbarie breui fugata
Leporem, ingenium tuum in loquendo,
Et grauem, uariam, optimamq. formam
Afflares mihi, & ipse Tullianus
Viderer. Sed age artium bonarum
Et graiis simul, & simul latinis
Perge reddere pristinos honores,
PAVLLE gloria Romuli nepotum,

AD. MARIANAM.

Britannam

DVm faciem Mariana doces medicare puellas,
Mentiri & fuco labra tenella nouo.
Obductamq. cutem sparso laeuare veneno,
Efficis, ut mulier uel bona, non bona sit.

AD. POSTHVMVM

SI quid narratur mihi, credis, si quid ab Aulo,
Et si quid uulgus, Posthume credis, ait,
Vix tamen ipse tibi credo. Nam credimus illis,
Qui nimium sueuit dicere, credo, parum.

AD. PAVLLVM. ODESCALCVM

FAcundae nullus praestat tibi fulmine linguae,
Et multos anteis dotibus ingenii,
Ac tibi longaeuos, & maiestate uerendos
Consilio patres vincere posse datur,
Nec magis egregius quisquam est in rebus agendis,
Non tamen ipsa tibi purpura sacra datur,
Nulla est Paulle quidem laudum iactura tuarum,
Nam sacer à meritis sat tibi uenit honor.

AD. CLEMENTEM. MONILIANVM Cardinalem Araecaeli.

Concubitu indulgens foedo, corpusq. sacerdos
In venerem soluens, polluit ipse deos,
Sacraq. confundit, cupit & pia templa cremari,
Aeternos uere destruit ipse deos.
Qui potuit tantum facinus petrare, quod ulla
Barbara gens maius crimen habere potest?
Quid prodest illum puras inquirere uestes,
Quid calices puros, uinaq. pura, & aquas?
Si impuris animis, si impuro corde ministrat
Sacra, & si spurco corpore tura cremat.
Casta placent superis, veterum sententia nota est,
Nec nisi sunt casta sacra tenenda manu.
Testis Apollineus cultus, cererisq. perennes
Et culti aeterna virginitate foci.
Quid, quod & Aegyptus corpus seruasse pudicum
Nouit, & hinc ipso se abstinuisse sale?
Vt superis caderet puris etiam hostia pura,
Conueniensq. deis usque daretur honos.
Nonnullos quondam legi potasse cicutam,
Addictos postquam se meminere sacris,
Et Cybeles omnes sese castrasse ministros,
Vt semper caste templa adeundo forent,
Abstinuit capra Romanus & ipse sacerdos.
Nec caprae nomen hiscere fas fuerat,
Lasciuas hederas etiam tetigisse nefastum,
Ipsius & semper nomina crimen erant.

Sumebant herbas Veneri pergrata negantes
Gaudia, in his acuens lumina ruta fuit,
Quid, quod & Haebraeus uates, magnusq. ſacerdos
Oracla accipiens, coniugio abſtinuit?
Quid Chriſti ſanctos iuuenes exempla ſecutos
Virgineos memorem tot peramaſſe choros?
Nunc genus infelix hominum ſcelerare deorum
Templa audent, ſanctorum & benefacta patrum,
Cuncta furor Veneris permiſcens fanda, nefanda,
In ſanctos etiam uult penetrare lares,
O mens caeca hominum, o ſtygiæ ludibria mortis,
O gens infandis obruta flagitiis,
Quid reliquum eſt nobis, ſacra ſi fœdare paratis,
Concubituq. aras perdere ſacrilego?
Ipſe pater Clemens ſacris deducta libellis
Prome ſalutifera iam tua ſcripta manu,
Eia age magne pater ſanctum defende pudorem,
Defende intacti iura ſacerdotii,
Ne quiſquam tentet leges temerare ſacratas,
Aut ſcelus hoc dira conditione uelit.
Sin permittetur, ſpreta pietate, uidebis
Eſſe eodem breuiter faſq. nefaſq. loco.

AD. IO. BAPTISTAM. ALEXIVM
De quodam numiſmate dono dato, quod
Roma appellatur.

HOc magica, ut perhibent, eſt arte numiſma reptũ
Monte, ubi fatidica uoce Sibylla canit.
Certa canit uentura uiris, antroq. remugit,

Quod propius patriae cernitur esse meae.
Roma ibi nuda sedet galea spoliata superba,
Membraq. nequitiae non pudibunda tegit,
Scilicet haec magis exercet tua bella cupido,
Mars pater egregia pellitur urbe sua.
Tu solus reuocas virtutis semina ALEXI
Et resides animos euehis ipse polo,
Per te, quod uetuit dilapsi iniuria secli,
Antiquas uires sumere Roma potest.
Tantum in te uiget hic Romani sanguinis ardor,
Propterea à nobis haec tibi ROMA datur.

AD. I. BAPTISTAM
Vbaldinium

IAm pridem tibi gratias agendas
IANE duxeram alumne Gratiarum,
Verum non potui negociorum
Dura compede uinctus, at solutus
Te, laudesq. feram tuas ad astra:
Sed quis hoc humeris suis poeta
Onus sustineat, quis ergo dicet
Caeleste ingenium, fidem, pudorem,
Verba dulcia, candidosq. mores?
Nostra hoc pondere nae minor Camoena est.
Tamen pro officio, ac benignitate,
Qua nos usque foues, amabo, & usque
Te colam, ac pelago ante iam propinquo
Nabit Roma, suos fluens redibit
Ad fontes aqua, quam meo recedat

Imago ex animo tua, atra nec mors
Auferre hanc poterit, uenuste amice.

AD. IO. PETRVM.
Ghislerium

Felix, cui nihil est aut subitum, aut nouum,
Ghisleri, licet huic acroceraunia,
Ventorumq. minae semper inhorreant,
Portus ne intret in ostia.
Perspexit tamen haud consilio Dei
Nequicquam fieri, seu sapientia,
Quae fluctus mouet ex aequore turbidos,
Atque omnem rabiem maris,
Nec gaudet nimium noscere perspicax
Mens, quod siderea uenerit alite,
Mox possit celerem uertier in fugam
Eius perpetuo malo.
Sic fatalia tu sustine, sustine.
Quae sunt ante tibi cognita, tempore hoc
Nec credas facili scandere tramite
Parnassi ardua culmina,

IN. SEXTVM. NERONEM Imper.

Testibus exectis Sporum Nero fouerat, illi
Detulit & dotem, & flammea luteola,
Ac uoluit tales amens celebrare hymenaeos,
Quales legitimus sponsus habere solet.
Ipsius o vtinam patri pro coniuge uera
Iunxisset magnus Iuppiter hunc puerum,

AD. ALEXANDRVM
Canigianum

SI daret mihi ſpiritum canorus
Pater caſtalij chori, libellis
Iucundiſſime amice uiueres, dum
Viuerent monumenta litterarum.
Naſcentem placidis Thalia ocellis
Me minus uoluit uidere, ſed te
Clarauit Dea, Canigiane, nec iam
Morderis genuino ab hoſte dente.
Eſt felix nimium, & beatus Arnus,
Quem propter canis, & Marone digna
Pangis carmina ſi mihi benigni
Nunc darent ſuperi tuo lepore
Frui, colloquio, facetiisq;
Nil mi carius euenire poſſet,
Et nil dulcius. Ergo me beato
Viſes carmine, quod legens medebor
Malis, atque animum leuabo curis.

AD. AESCHYLVM

NOn iterum nobis audes recitare libellos
Aeſchile, nam crambe bis repetita necat,
Euripidemq; times uatem. Dic terq. quaterq.
Dum pulchre dicas Aeſchile, nec ſemel eſt.

AD. SELIVM. GALLVM

PRo te multa tuli terraq. mariq. tyranni
Non umquam timui tecta subire feri,
Saepius & pro te noctes expertus amaras
Extorsi uitam paene meo capiti,
Vt tandem ex animo potuissem acquirere amicum,
Qui mihi in aduersa sorte tulisset opem
Tu satis id duxti numquam, nec dicere possum
Quid tibi Galle uelis. factus es ipse senex.

AD. FEDERICVM
Cephalottum

NE me istoc onus amplius subire,
Paullo ut res memorem tui negoci,
Cephalotte uenuste praecipe: istoc
Accidit mihi, nam graue, ac molestum.
Ah quis te genius malus coegit
Hac mente, hoc animo esse, ut hos patronos
Eligas tibi barbaros. trucesq.
Quaeso quid poteris parare in ista
Grandi barbaria? quid, elegantes
Versus scribere Phoebus adiuuabit?
Gens leges ueneretur impia, exlex,
De Christo male sentiens tonante?
Iam constes tibi, candidi, & uenusti
Mores, artibus & bonis politi
Insunt nunc tibi, rectius caueto,
Ne dicaris inertior redire,
Indoctus, sine gratia, & lepore.

IN LAVDEM CHRISTI
Ad Ciues

AFfulsit celebranda dies, memorandaq. cantu
 Sacrifico, colitur quà caro iuncta deo.
Altisonum carmen Ciues deducite auena,
 Spargite humum uiolis, purpureisq. rosis.
Nam Deus omnipotens tandem reserauit olympum,
 Atque suo tutum sanguine fecit iter,
Sponte sua subiit conuicia, frigora, uectes,
 Insidias fraudes, aspera uincla, minas,
Laesus utraq. manu, traiectus pectora ferro
 Pro nobis turpem passus in orbe necem est.
O pietas, o magnus amor, clementia summi
 Summa patris, pepulit qui mala nostra procul.
Vos igitur date tura pias adolenda per aras,
 Plurima ponatur myrrha cremanda focis.
Atque amarantheis altaria cingite sertis,
 Et sacer hic Arabo spiret odore locus,
Solemnesq. preces uos Christo effundite mecum,
 Vt patrii sedet bella cruenta soli.
Pellat ut hinc odium, rixas, pestemq. famemq.
 Pax adsit, fructus arua benigna ferant.

IN FABROS FERRARIOS

QVid mihi uobiscum est proles Vulcania fabri,
 Nobile ut ad musas praepediatis iter?
Noctes, atque dies feruent incensa caminis,

Vestraq. continuis ictibus aera sonant,
Ite procul, dominusq. simul Lemnosq. petatur,
Me meus in studiis pulcher Apollo tenet.
Nec cessatis adhuc ferrum cudisse frequenter?
Ventiferis iterum follibus aera calent?
Tunditis assiduis ut uos incudibus illa,
Vestra ita tundantur pectora, crura, caput.

AD. IVLIANVM.
Cecchinium

TOt nati Iapeto cum tanta audacia morbos
Subducta superis huc tulerit facula,
Cecchini reparare studes bone Peonis herbis,
Et nos e stygiis eripuisse uadis.
Nunc eat, ille homines iactet fecisse superbus,
Plus seruare quidem, quam facere, est, homines.

DE. VICTORIA. DVCIS. ALVÆ.
Contra verae Relligionis Desertores patrata

IMpia dum Belgae Christo, caeloq. rebelles
Praelia, turbata Relligione, parant,
Castra locant, uallo sedes, atque aggere cingunt,
Dumq. struunt fidis ultima damna uiris,
ALVA Italo auxilio oppugnans, & robore Ibero
Deturbans castris, agmina longa fugat.
Atque cruentatis sequitur fugientia telis
Signa, & tormentis fulminat, & perimit.

Sic coniurati quondam cecidere Gigantes,
Sicq. cadet, contra qui geret arma Deos.

AD. M. ANTONIVM
Ferrettum

VT gemit uiduo hinc, & inde turtur
Amissam comitem, ut fugit uirentes
Campos, haud legit arborumq. foetus.
Sic uere sine te mihi uocanda est
Vita, quam colo; & asperam, & molestam
Nil me Roma iuuat, puellularum
Conspectum fugio, iocos, amores,
Aut his si melius potest quid esse.
Sorderent hyacinthi, & uniones,
Sorderent amethystus, & pyropus
ANTONI Sine te, ac tuo lepore,
Iucundissimo, amabilissimoq.
An, rogo, nitidi Dianae ocelli,
An rogo, tenuisq. myrrheusq.
Tortis orbibus aureus capillus,
An cantus lepidis pares Camoenis
Torquent amplius, amplius te adurunt?
Quid poma Alcinoi, quid Hyblae in horto
Aiax, & violae, rosae, & ligustra
Surgunt amplius, amplius uirescunt?
Narcissi, atque amaranthi, amomus, anne
Nascuntur tibi, pensilisq. bacchus?
An Cydonia, fraga, mespilumq.
Heu subit quoties locus beatus,

Pindi vertice pulchrior, vel Haemo
Gratior, viridarioq. Cirrhae,
Me angi sentio, cogor emoriri.

AD. THOMAM. ORPHINVM
Episcopum

O Qui tot superum reficis labentia templa,
Cui prius est culta relligione nihil,
Quam bene Pontificis placidas accedis ad aures,
Vt te consilijs admouet ipse PIVS?
Iam longa populi laeti sub pace recumbent.
Amplius haud fient fana profana Deum.

AD. VESPASIANVM
Pandulphum

FElix ingenio, eruditione,
Pandulphe, & latia Minerua, honores
Quid pater tibi praeripit? beatam
Quid uitam inuidet, elegantiasque?
Ah nunc te prohibet sacrato ab Haemo,
Pulchris deijcit Aonum uiretis,
Orcum trudere tentat in uoracem?
Patris flagitium ò acerbum, auarum,
Tu si iam sapis, & lacus & ipsos
Saltus Castalios ames, colasq.
Numquam socratica procul Minerua.
Sic eris columen domus perenne,
Sic eris Patriae decus, iubarq.
Fama sic tua uiuet omne in aeuum
Cum musis, & Apolline, & Minerua.

AD. PETRVM. LEONEM
Medicum.

TV modo cantatae obseruas noua cornua lunae,
Et legis Aemoniis gramina nata iugis,
Sagaq. consulitur, magica modo quaeritur arte.
An vere in breuibus sis moriturus aquis?
Quid iuuat, infelix, praescriptam noscere mortem,
Ipse quidem per te bis miserum esse cupis.

AD. I. PAVLLVM
Castellinium

MVsae, quae iuga, & Aonum uireta
Felices colitis, meo patrono
Paullo dicite ad exitus secundos
Perueniisse meum laboriosum
Num negocium at o repente uenit
Felix nuncius, illum adesse nobis
Disertum, lepidum, cupitum amicum,
Et mi singula laeta nunciare.
Huc Huc Thespiades quot estis omnes,
Quot quot undiq. sedulae uenite,
Et hanc eximiam benignitatem
Paulli tollite laudibus canoris.
Et uos hendecasyllabi beati,
Gratiam innumerabiles per annos
Seruate hanc memores, patrona virgo
Seclo concine cuncta sempiterno.

AD. IVSTINIANVM Cardulum

NEc te CARDVLE Musa praeteribit
Dulcis, unanimis, uenuste amice,
Qui cum uersibus erudituli ijsdem,
Iisdem uiximus artibus politi,
Sed tibi ingenium magis seuerum,
Acutum magis addidit Thalia,
Suffecitq. melos charis palato,
Mi sed molliculi, minutuliq.
Fluunt versiculi, quibus puellae,
Nunc cadentia colla, nunc papillas,
Nunc pectus niueum, genas capillos,
Et quos deperij illices ocellos
Dicimus modo lacrimae, querelae,
Lamentatio, languor, atque amores
Scribuntur toties mihi dolendi.
Passibus tacitis ubi senecta
Hirtam venerit exarata frontem,
Inter socraticos libros, & inter
Diuini monumenta tot Platonis
Viuetur rigoris Catonianus.

AD. MARIVM. PODIANVM

QVod reddis PODIANE mi Catullo
Splendorem, ueteremq. dignitatem,
Gaudio lacrimae effluunt ocellis.

At illud nimis, & nimis molestum est,
Quod iam dispereunt tui labores.
Ah quaeso per Apollinem, & Catullum,
Hos prodire sinas uirorum in ora,
Turba cetera nesciunt, puellae
Quid sit passer in aureo libello,
Quid solatiolum, & iocus sed ipse
Nosti quam bene passerem Catulli?

AD. FEDERICVM. ALBANVM

HAec tua Apollineos imitatur arundine cantus
Aemilia, & docti plectra canora Lini.
Haec gratis labijs, haec dulcis morsibus oris
Mille facit roseas per tuo colla notas.
Et tamen ipse paras abitum, caecasq. latebras,
Deserto vt linquas frigidulam thalamo?
Tu caueas Federice tibi, ne amor, & Venus in te
Iam saeui faculae dent documenta suae.

MERCVRIVS. MARMOREVS

BArbaricis uexata odijs, & passa furores
Mersa suo iacuit Roma superba solo,
Artè laborati vultus, operosaq. diuum
Marmora truncatis quassa fuere notis,
Pars mihi Auentini culta est, vbi caede cruenta
Semiferi stabant horrida tecta Caci.
Hic ego Mercurius perfractus membra iacebam

Tectus, & aeterna molè sepultus eram,
Sed vigil ad superas tollit me Cincius auras
Et solers caecis effodit è latebris.
Artificis si cernis opus, compactaq. membra,
Dic, Oratorem sic decet esse Iouis.

EPITH. MICHELANGELI
Carduccii Pictoris.

CARDVCCI solite articulis animare colores,
Et reuocare animas e Phlegetontis aquis,
Tu poteras ipsum Bonarotam uincere, ni iam
Rupisset uitam praecipitata dies.
Infelix uiduata uiro mea Nursia tanto,
Haec potes heu siccis fata uidere oculis?
Disce bonum fieri nulla durabile terra,
Nec magnos homines uiuere posse diu.

DE. MVCIO. BONIOANNE

MVcius ancipitis soluens enigmata iuris,
Et patriae edoctus consuluisse suae,
Fingit amycleo placidissima carmina cantu;
Et leges numeris temperat Aonidum,
Sic quondam responsa ferunt oracla dedisse,
Sic etiam cecinit Pythius e tripode.

AD. CHARITELLAM. VT
viro se reconciliare uelit

NE viro CHARITELLA pulchra saeui,
Ne secum proba nocte litigato,

Quid tota indomita ab furore lecto
Excludis iuuenem tuum maritum,
Et aptum Veneris, toriq. rebus?
Pelle tristia, quaeso, amara pelle,
Rixas, murmura, perfida & duella,
Et spargas Veneres iocos, amores,
Haerens ad latus, osculationes
Miscens, illecebrasq. Lesbianas
Hanc Iuno statuit, Venusq. legem,
Hoc hoc coniugium iubet Cupido,
Non non tristitias amariores,
Aut rixas gelida mouere nocte.
Ob id patribus ipsa coniugalis
Fiebant sine felle sacra diuae.

DE. LVCRETIA. ROMANA
&Centica

VT turpem fugeret Lucretia Centica moechum,
Condidit in niueo pectore tela suo.
Altera Romano prognata e sanguine, quondam
Vi temerata suo maluit ense mori.
Casta est utra magis? parcit tantum illa pudori,
Huic potius famae parcere uelle fuit.

DE. CVRTIO. GONSAGA

ADmiror Thusco Gonsagae tincta lepore
Quae summo scribit carmina iudicio,
Saepe acre ingenium stupeo, uenamq. fluentem,

Vt calamos docti Vergilii aequiparet

Immo Virgilium credendum est dicere, nostra

Nunc aliquid maius nascitur Aeneide.

DE. ALEXANDRO. RODVLPHO Florentino Equite. S. Ioannis Hierosolymitani Qui ad Meliten. insulam obiit

FVlminat ad Meliten dum bello Turca, potenti

Classe vel omne solum, terrificatq. solum.

Fortis Alexander Tyrrhenae gloria gentis

Protegit armifera moenia sancta manu:

Et iam iam aequaret Pellaei facta superbi,

Hunc nisi pugnantem nex cohiberet atrox.

Nex sed Alexandro maiorem reddidit illo,

Vt stellas inter candida luna nitet.

Illi etenim quid mors nisi mortem detulit atram?

Huic vita ex ipsa morte perennis erit.

EPITH. GREGORII Bubali

PErsephone nigro cum tot uidisset ab Orco.

Gregorium trepidos eripuisse reos,

Hunc fera surripuit, stygiaq. occludere nocte,

Mergere & infernis heu properauit aquis.

At recolens, qui iura docent, tribuuntq. coluntq.

Manibus haud trudi; pænituit sceleris.

Mox hunc prospiciens superas uolitare per oras,

Quid feci infelix? dixit, & erubuit.

HYMNVS

AD. DIVVM. IOANNEM. OBSV peratos ad Meliten insulam Turcas

NVnc tua Ioannes conuentu templa frequentant,
Instaurantq. pias vir, mulierq. preces,
Omnia sunt operata tibi, non ulla trahuntur
Stamina, & immuni cessat arator agro,
Singula & argutis olim suspensa labellis
Nunc tibi uota simul persoluenda parant.
Turcarum quoniam terraq. mariq. Phalanges
Innumeras ualida proteris ipse manu.
Relliquiasq. omnes Melitaeis finibus arces,
Cogis & infames uertere terga Duces,
Quare his promeritis miles tuus, hoste perempto,
Arām Taenario marmore constituit.
Arcum ubi, tum pharetras, clypeos, galeasq. sudesq.
Fixit, Threicijs signaq. rapta uiris.
Quasq. potest tibi magne pater persoluere grates
Nititur, & festos concelebrare dies:
Et latias sacra uelatus fronde per vrbes,
Concinit ante tuum carmina culta tholum.
Dicit io, canit euge pater, redolentibus aris,
Tollit & accensas Roma superba faces.
Sancte ueni, placidusq. animis illabere nostris,
Dexter ades, laetus ad tua templa ueni.
Atque his auspiciis totis da pellere regnis
Turcas, & celeres da superare rates.

Vt Scythiae, Lybiaeq. urbes sacra numina adorent;
Incendantq. tuis debita tura focis.

DE. OBITV. ATHILÆ
Hunorum Regis

ATbila dum celebrat lasciua nocte hymenoeos,
Laetaturq. noua coniuge posse frui,
Tantis expletur dapibus, uinoq. grauatur,
Vt properet tyrio membra locare toro,
Sed capit haud requiem, non herbis concoquit ullis,
Purpuream ast animam naribus ipse uomit.
Sanguinis humani sic qui tot flumina fudit,
Dat proprio penas sanguine, mortem obiens.

DE. LVCRETIA. ET. LVCIA
Nursinis

NVnc choreas immista uiris Lucretia ducit,
Illi nec festa est luce madere pudor.
Hic ait, ut belle in saltus nunc corpora librat?
Atque ille, ut tremulos fert male sana pedes?
Lucia sed telæ textrix operata Mineruam,
Haeret, & assidua stamina pingit acu.
Atque uiro ipsa est semper soli cognita, de illa
Nec bona, nec mala, que fama loquatur, habet.

IN. OBITV. PAVLLI
Triuisani

QVae Triuisane mihi nox ultima sustulit atra,
Ante diem quae uis effera te rapuit?

Cur ego non potui languenti tangere dextram,
Aut ego supremum munus obire tibi.
Cur me ad tam miseranda prius non fata vocasti,
Quam rigidus tegeret frigida membra lapis?
Saltem luctiferum comitatus & ipse pheretrum,
Sparsissem largis heu tumulum lacrymis.
Et licet assyrios non ferrem ad funera odores,
Parua tamen non dat munera dans lacrymas.

AD. AVGVSTINVM
Iustinianum

IN prima Augustine colas Helicona iuuenta,
Sanctaq. te capiant munera Pieridum,
Iura fori spernas, rixas, & garrula uerba,
Atque ea, sunt trucibus quae magis apta uiris.
Te decet aeternis Musis, & Apolline digna
Aonio semper labra rigare lacu.
Iura fori nigro iuuenem detrudere Auerno,
Et miserum caeca claudere nocte solent,
At quem Melpomene felici lumine clarat,
Ille vel inuita uiuere morte potest.

DE. VIRGINIA. ET
Venere.

VIrginiam molli deuinctam lumina somno
Non procul aspiciens aurea Cypris, ait,
Huic facies, huic nostrae laeta simillima frons est,
Quam similes nostris haec habet una genas?
Haec referunt mea labra quidem tua Virgo labella,

Pectoreq. es niueo condecorata meo,
Sed cum Virginiae niger est patefactus ocellus,
Nunc, ait, heu uincis lumine Virgo Deam.

AD IO. BAPTISTAM Camotium

DOctorum decus omnium Camoti
Quos Argos tulit, aut domus latina
Aut gens estera, te Dei, Deaeq.
Certatim artibus erudisse multis
Gaudent, ut similis fores Maroni,
Docto Tullio, Horatio, libellis
Vel Demostenis haud minus politus
Fortunata nimis, nimis beata
Nostra haec tempora litteris latinis
Quae lumen, ueteremq. dignitatem
Norunt reddere te, Inachiq. genti.
Quare te populi colent honore,
Ac discent tua scripta sempiterno.
Nec cessa, opprimitur tua inuidorum
Et si ars à rabie mala, & canina,
Nam mendacia subdola, ipsa tandem
Virtus candida uincet, atq. ad astra
Tolletur nebulis malis fugatis.

AD GALLAM

ORpheus Ismarius siluas, delphinas Arion,
Mouit Dircaeus saxa poeta cheli.

Cinthia carminibus fuit exorata properti,
Venit in amplexus ſaepe puella ſuos,
Bilbilicus uates multas pellexit amicas,
Naſonisq. fuit pulchra Corinna ſinu.
Oſcula quot fixit molli, ſuauiq. Catullo
Lesbia, quot Nemeſis culte Tibulle tibi?
Carmina dicuntur fluuios, & ſidera retro
Vertere, tartareas & cohibere canes.
Carmine ſola ferox, & inexorabilis, atrox,
Nec precio flecti, nec prece Galla potes.
Iuppiter at Danaes fertur penetraſſe penates,
Rore etenim fuluo commaduere ſinus.
Ante pedes quoties proieci callidus aurum,
Addens muneribus mollia uerba meis?
Dura tamen ſemper ſpreuiſti dona, precesq.
Iurgia nec puduit nectere ſaeua mihi.
Hoc Ericina tuum eſt ſtolidam mulctare puellam,
Aligeri telis confodienda dei eſt,
Magnum Pierijs ſcelus eſt nocuiſſe poetis,
Illapſo quorum numine corda tument.
Si incipiat mihi bile iecur turgeſcere, dicam
Et ſcelera, & fraudes, impia Galla tuas.
In te torquebo, quae eſt paſſus tela Lycambes,
Vulneraq. exangui corpore multa geres.
Garrula mordacis fueris tu fabula uulgi,
Exitio facies pulchra futura tibi eſt.
Ah quanto melius, quanto praeſtantius eſſet,
Si collo iniiceres brachia nuda meo.
Non ſolum caperes dulciſſima commoda mecum,

Nec sterilis semper dia iuuenta foret.
Sed meus ingenuam formam cantaret Apollo,
Nomen & ornarem Virgo perenne tuum,
Muta igitur mores, aures iam porrige gratas,
Iam mihi crudeles blandula pande fores.

IN. OBITVM. CARDINALIS
Aquaeuiuae

QVi Viuis lucebat Aquis fons nobilis Vrbe
Dulce fluẽs, passim modo quo gẽs ipsa leuabat
Ore sitim, ueluti diuini nectaris haustu,
Heu latuit, caeli cognatis redditus undis,
Et sese actutum crystallo miscuit altae.
Hinc tellus gemit infelix, hinc aruit omnis
Laurus, victrices hederae, & sacra choanis arbor,
Narcissi languent, pallentq. rosaria, & usta
Poma cadunt, moriens amisit pampinus uuas.
Quid sophie campi, quid nos Heliconides almae
Vallibus arentes iam cernitis undiq. flores?
Discessit, uobis heu qui decori esse solebat,
Discessit, secumq. tulit iustumq. piumq.
Atq. illum Charites alternis brachia nexae,
Illum Relligio, probitasq. fidesq. secutae.
Ergo iustitiam sitit alter, & alter honores,
Et cupit incassum doctas Tritonidis artes.
At fonti postquam uitali Aquauiua recessit,
Spesq. extincta iacet saecli, annorumq. labores,
At postquam decus omne dies hinc abstulit una
Pierides, pro uiua unda, & permesside lympha
Vndantes mecum lacrimarum effundite riuos.

IN. PIVM. V. PONT. MAX.
De Aqua Virgine Romam
Perducta

QVi turpes Veneres, inconcessosq. hymenoeos,
Concubitusq. uetat, nequitiamq. Pius,
Qua scelus elauet impurum, qua furta, per Vrbem
Efficit, ut tandem candida Virgo fluat,

IN. COSMVM. MEDICEN. MA
gnum Etruriae Ducem Tumulus

IMplesset claris cum Magnus honoribus orbem
Cosmus, obit, sed num Cosmus obire potest?
Ornauit terras, celsum nunc ornat Olympum,
Accipiuntq. suum sidera magna Ducem.

Aliud

MAgnus erat Cosmus titulo, sed robore maior.
Consilio, ac factis Maximus ille fuit.

AD LEONORAM TOLETAM
Mediceam

ORe refers Leonora Cyprin, miroq. decore
Exprimis incessu, pectore, fronte, genis.
Hoc differs. tantum laudatur corpore Cypris,
Eximia est in te pars minor illa tui.

In Pollucem

EBria quod Pollux semper tua murice uestis
Flagrat, & auratus pectora torquis habet.

Comis odoratos cura, studioq. capillos,
Quod capit electos vix tua mensa cibos;
Non ideo praeferre mihi te posse putato,
Auratum reddit non nisi uellus ouem.

DE HIERONYMO BONELLO
Cassani domino.

QVi potis est Nemesin duris constringere frenis,
Corporis, atq. animi cui datur omne bonum,
Iure bonum potius, quam dicas ipse Bonellum,
Laude effulgentem perpetuo propria.
Terrere hunc poterit facies non ulla malorum,
Naufragus horrisoni non furor Oceani.

DE LEONORA TOLETA
Medicea Ad Arnum.

CVm tibi concessit diuinum carmine uatem
Phoebus, nulla fuit Arne puella tibi,
Quae foret insigni specie laudanda: refulsit
Pulchra nimis ripis cum Leonora tuis,
Nullus adest, possit digne qui dicere formam,
Aut animo tantum concipere ingenium.

AD LEONORAM TO
letam Mediceam.

NAturae quicumq. cupit specimenq. decusq.
Cernere, uel doctae Palladis ora Deae,
Vel nemorum dominam calamis, pharetraq. potentem,
Formosae & nitidum corpus Acidaliae,

Te spectet Leonora tuos miretur honores,
Mireturq. faces, quas iaculatur Amor,
Prae te, nil, dicet, ueteres finxere poetae,
Siq. noui fingant, maior es ipsa tamen.

In cupidinem.

OB geminas pharetratus amor mea corda puellas
Vulnerat; heu gemina torret & ille face.
Paenitet admissi nec iam, ceciq. furoris,
Insanus credit cor fore mi geminum.

DE. TVMVLO. PII. V. P. M
quem ante Pontificatum sibi fecerat.

EXiguos lapides, inscriptaq. nomina fratris
Relligio, ac pietas dum tua Quincte legunt,
Riserunt ambæ, tantum quod te ipse putares
Marmore in exiguo claudere posse virum.
Et quod nunc volitat nomen trans aequora ponti,
Quodq. uel ignotos currit ad Antipodas,
Saxis arctari breuibus. Sic ergo loquuntur;
Non Michael frater, sed pater orbis erit.

In obitum Pij V. Pont.Max.

DVm Pius euersum reparas virtutibus orbem,
Quincte cadis, pietas impia facta pio est.

In constructores tumuli Pij V.P.M

Quid struitis tumulũ Quincto? quẽ clauditis vrna?
Viuentem sepelit, qui tegit ille Pium.

In obitum eiusdem.

A*Ccensis facibus gaudent Byzantia in urbe*
Turcae post cladis funera? Quinctus obit.

Pius V.P.M

P*Ost uictos Turcas, armatum & legibus orbem,*
Occido, ne uideam tanta perire cito.

In eundem.

N*On Quinct⁹ moritur, quē mors nō terruit unquā*
Sed uult excelsa sede sedere magis,

In tumulo Pij V.P.M

S*I cadit pietas Pio cadente,*
Ne tu Relligio cadas uideto,
Nam si relligio ligat pios, si
Maximus perijt piorum, habere hinc
Vitam non potes. altera sorore
Extincta, cadere heu tibi necesse est,

In obitum eiusdem.

I*Nstituit leges, mores, sacra, foedera iunxit,*
Edidit et regum proelia magna manu.
Confregit bello Turcam hydram contudit, orbis
Felix, si huic annum parca dedisset adhuc.

AD SIMONEM CECCHINIVM DE
Laudibus Liuiae Beccariae.

O *Qui pegaseo nouo uolutu*
Nunc per Gorgoneae lacus Medusae,
Nunc per idalium, Gnidon, Paphumq.
Ferris, rumpe silentium, meamq.
Celebra Ticinen, nitentem, amorum,

Dulcium decus, & puellularum.
Qua fulget, rutilatq. pulchritudo,
Qua fides adamantina, atq. honestas
Coruscat, fluit & Charis, leporq.
Te non anguipedum manus gigantum
Cecchini, haud pugiles, ferumq. Thebes
Proelium teneat, nec ipse cures
Saeuas gymnadas, aut canem triformem,
Ausi istaec cecinisse fabulosi,
Sed formam Ticines feras olympo,
Dicas auricomum caput, decoram
Frontem, sideribus pares ocellos,
Ac rosae tyrio genas colore
Extollas, niueoq. lacte mistas,
Plena suauidicae labella Suadae,
Queis promit mea uoculas puella.
Sic tuum medio coletur Hemo
Opus, sic tua, seculis futuris,
Toto Melpomene legetur orbe.

AD IOH. ANTONIVM Radium

CVm studeas quaecunq. fluunt sub sidere nosse,
Stellarumq. ortus cernere, et interitus.
Dumq. mones bruma timeant ut Oriona nautae,
Vereq. cur tristis Pleias haurit aquas.
Mens tua lustratur radijs Hyperionis, ut te
Appellet Radium Cynthius ipse suum.
Tu terras tractusq. maris metiris, et omnes

Prospicis Eoas, Hesperiasq. plagas,
Sic animis hominum monumenta insignia condis,
Sic radijs tenebras clarus ab orbe fugas.
Sic terrena tibi det uirtus aurea, regna,
Sic tibi coelestes Iuppiter addat opes.

I. HIERONYMI
CATENAE
POEMATVM
Liber Septimus.

DE. LIVIA. BECCARIA
SPAIRANA.



Rgo LIVIA pulchra, LIVIA illa,
Quae solem superat nitente uultu,
Quae tot ex oculis iacit sagittas,
Dolore afficitur? fluit tenellas
Distillatio per genas, & ora?
O dulces nimis, o benigni ocelli
Opprimunt male uos malae procellae?
Heu diem mihi nunciant supremum;
Heu nunc tartareos fero dolores.

Phoebe nunc pater huc veni, Aesculapi
Huc veni, atque oculis simul medere:
Ha c Paeana tibi canet, dicabit
Tuis parietibus nouas tabellas
Apollo o bone, & o bone Aesculapi.
Ipse nil modo perpeti recuso,
In me conijcite & malum, & dolorem,
Dum mihi nitidi offerantur ignes.

EPIT. M. ANT. ABEL
li Galli

FLos iuuenum sextam nondum triaterida Abellus
Implerat, rapuit cum fera Persephone.
Doctus erat clypeo, sudibusq. inuadere Martem,
Atque super celeres edere corpus equos.
Flete huius cineres iuuenes Mauortis Alumni,
Ac tumulo tristes humida serta date.
Tu tamen ipsa tuo ciui grateris Abello
Gallia, quod tellus Romula dat tumulum.

AD. HERSILIAM

SOporis genitrix, silensq. ab alto
Dum nox praecipitat, cadunt & astra
In somnis mihi candida est puella
Visa, purpureis genis, capillis
Pulchra flammeolis, uagisq. ocellis,
Fronte siderea, ore peruenusto.
Sed pullo induerat comas amictu.

An dixit, satis haec potest placere
Nostra forma tibi, vt canat Thalia
Oestro percita, seu uelit latino,
Seu Thusco numero, aut graui cothurno,
Aut socco canere, aut pede hoc, uel illo?
His dictis abijt. Repente somnus
Meos languidulos reliquit artus.
At mente, atq; animo usq. dum uoluto,
Quae nam me Dea lusibus fatiget,
An Pallas fuerit, Venusne, casta
Latona, an aliqua ex nouem Camoenis
Dum uerso omnia cogitatione,
Te mihi Hersilia obtulisti. amabo
His imaginibus necas, & vris
Illudens miserum tuum Catenam?
His heu mancipium modis lacessis?
Hoc me perdis amore laruali?
Ne quaeras manifesta pernegare
Incessu patuisti, & atro amictu.

AD. GIBERTVM. SANVITALEM
Salae Dominum

GIberte inclyte, dapsilisq. comis,
Diues, nobilis, atq. liberalis,
Quid ista anxietate, quid dolore
Lites persequeris? quid has querelas,
Quid conuicia, quid dolos, quid illa
Quae aduersarius obstruit, refellis?
Quid curris toties gradu citato

Ad subsellia iudicum, clientem
Huius, illius esse amas, cupisque?
Quantum es falsus opinione inani?
Plusnam surripiunt pecuniarum
Et notarius, & forum, & patronus,
Hostes quam facerent tui trecenti.
O sortem miseram. procul Giberte,
Procul litibus, & procul patronis
Esto, iam tibi uiue carior, quid
Cares delicijs domus, tuaq.
Pulchra coniuge, filijsq. pulchris,
Queis nil pulchrius est, suauiusq.
Monstra haec linque, & abi, recede. prorsus
Nam ius hinc abijt, recessit aequum.

AD. LVDOVICVM Tarotium

QVot fluctus lybicis mouentur undis,
Sole quot lyciae ustulantur aruis
Aristae, frutices habet quod Ida.
Quot uer lilia, quot rosas, quod herbas,
Nigro praecipitant polo quot imbres,
Quot flores Sicula creantur Hybla,
Alpes quot retinent niues iugosae,
Terra lesbia quot parit racemos,
Quot tellus adolet Sabea thura,
Quot sunt sidera, quae nitent olympo,
Quot captae Ionio freto carinae,

Dum Turcam Hesperij Duces retundunt,
Tot in me iacit aureas sagittas
Liuia ex oculis, & ore pulchro.
Dot feros animus tulit dolores
TAROTI. ex abitu meae puellae,
Quae me perdidit, ac beauit una.

AD. PETRVM
Gherardum

O non Vergilio minus polite,
Sed docto numerosior Catullo,
Seu graeca fide, seu uelis latina,
Splendor Cecropiae Mineruae, honorq.
Meos accipias Gherarde libros,
Libros nec celebres, nec expolitos
Teras pumice, Apollinisq. lima,
Nec tibi graue sit modo hoc, modo illud
Pungere, atque obelo notare carmen,
Ne Momi mihi detrahant, nec umquam
Mi uetent Heliconidum choreas.
Abi iam hinc stomachose Nauseator,
Nostri namque opera boni Gherardi
Exacti modo simplices libelli
Florescunt, rutilant, micant, refulgent.

IN. TARQVINIAM
Molsam

INter Pieridum MOLSAM uidet ipsa choreas
Mnemosine, pulchram quam rata Cyprin, ait,

Quid natae his Venerem doctis tenuistis in oris?
Haec loca sunt numquam mollibus apta iocis.
Hausit id, & cytharam sumens infecta rubore
MOLSA genas, mulsit corda seuera Deae,
Quae dulces mirata modos, hominesq. Deosq.
Vrit amore, inquit, carmine, & ore Venus?

IN. FABRICIVM.
Fuscum

QVod minimo viuis, quod paruo maxima praestas.
Quod vernas minimo pascere Fusce soles,
Quod paruo preciosa nimis tibi singula queris;
Quod seruas paruo remq. domumq. tuam.
Fusce quidem hoc est, magnanimum paruoq. potentem,
Hoc est, Romanum uiuere Fabricium.

AD. I. FRANC. FERRARIVM.

QVid dat Ferrari durum tibi nomina ferrum,
Fertq. notam generis mite quid ingenium?
Tu potius dicendus eras aurarius, auro
Carius est etenim quidquid ab ore fluit.
Aurea, quae condis, sunt & tua carmina, diues
Ipse aurum uili scis facere ex chalybe.

IN. OBITVM. ANTONII. BOBALI
Sapientiae studiosi

CVm forte abrupto cecidisset stamine fusus,
Quo Lachesis Bobali nebat auara diem.

Mors rapuit subito, atque ostendit laeta Mineruae,
En tuus hic clausit lumina cultor, ait,
Nec potuit plene Musarum haurire liquores,
Nec dulcis sophiae noscere sensa tuae.
Cui Pallas. Bobalus carnis compage soluta
Nunc uidet aeternis omnia luminibus.

AD. FLAMINIVM Galganum

FLamini inuidia inuidentiore
Fors tibi aureolamq. liberamq.
Aetatem inuidet impia, & maligna,
Nec sinit numero tuos amores
Et Tusco canere, & modis latinis,
Queis lenire potes puellularum
Et uultus oculosq. saeuientes.
Sed tu quo ingenio es bono, ac beato
Ne cedas facile ictibus proteruis.
Verum pectore praepotentiori
Contra audentior ito, namque uicta
Post fortuna fauet magis, magisq.

AD. CHLORIDA

NOn audis Zephyri quo sibilet aura susurro,
Obstrepat egelidae leneq. murmur aquae?
Huc ad frondiferam corylum diuerte per aestum,
Stillabit placido tempora rore sopor.
Et licet Alcidae caprum fumantibus aris,

Et grege de magno plurima dona feram,
Et lac Mercurio custodi, flauaq. mella,
Ne timeant auidos agnus, ouisq. lupos.
Attamen his spretis dabitur tibi candida Chlori
Lac, caper, agnus, ouis, mella, iuuenca, boues.

IOLAS

Cornigero Pani sinuosis cornibus hircum
Mactandam in uiridi cespite constituam.
Triticeam peram, hirneolam, rigidosq. ligones,
Argutam falcem, sarcula, aratra, sudes
Frugiferae Cereri suspendam, pruna, racemos,
Purpureos ficus, persica, mala, pira
Bacche tibi, custosq. horti tibi Lampsace fortis.
Dulciloquamq. tibi Musa diserta chelim.
Vos facite, ut nostrum Chloris suspiret amorem,
Et mecum abiecta blandula ueste cubet.

AD. M. ATTILIVM
Serranum

Et te sancta fides, & numquam nescia ueri
Relligio, atque alto pectore consilium.
Claraq. compositi mores ad sidera MARCE
Pegasidos fontis pocula sacra ferunt.
Nam bene uestigas caeli, terraeq. remotas
Causas, quid manes, quid faciant superi.
O quae magna manet laudum te gloria? Roma
Quot titulos & quot praemia magna dabit?

AD. SOMNVM. ET. ANGERONAM cum capitis doloribus conflictaretur.

HAs tibi, quas legi, uiolas, gelidumq. papauer,
Haec bona Somne tibi cressia uina fero.
Si potes aegrotum caput his uincire sopore,
Quid surdum precibus te facit esse meis?
Cur uis si cecini tibi dulcia carmina, Morpheus
Fallaci ut uarios mi gerat ore modos?
Ipse ego nulla malis infeci pocula succis,
Nec dixi aeternis impia uerba Deis.
Ah saltem Angerona uelis tecto ore uenire,
Comprimere & diris murmura rauca minis.
Iam face sub caecam sileant animalia noctem,
Ne dicar culpa disperijsse tua.
Sic tibi nocturnos donet Venus aurea amicos,
Teq. December amet, nigraq. turba colat.

AD. I. FRANC. COMMENDO num. Card. Amplissimum

CVm Petri aduersis ageretur fluctibus alnus,
Et tremeret rapidas nauita tristis aquas.
Ipse per undosum remex in tempore pontum,
Perculsam rethrais ad loca tuta ratem.
Nec per te insanos fluctus, Oriona minantem,
Non hyadas metuit, non pluuiale pecus.
Hic labor, & uirtus, mores candore nitentes,
Addita & eloquij gloria magna tui,
Commendone, tibi populis plaudentibus, & Dijs,

Imponunt capiti tegmina rubra tuo.
Felix, quem non fors, non uana potentia, & aurum,
Ad sacra sed uirtus prouehit imperia.

AD. IVLIVM. MOLEM

Moles, sic liceat tibi papillas
Amicae cupido notare dente,
Et suxisse labella purpurilla,
Iube ad te ueniam, feramq. mecum
Quas per roscida tempe, agrosq. amoenos
Legi delicias inanis oci.
Non ne Sirion aspicis furentem,
Terras, ac maria undiq. ustulari,
Et Nereidas excoqui sub undis?
Ni sale, ac lepido modo, & cachinno
Nos hoc fallere tempus, & iocari
Cernamus, breuiter leone saeuo
Nostrum corpus hiascet, & peribit.
Tu, quem Daphnide nobili coronat
Castalis dea, quidquid est uenusti
Prome, & uersiculos, ut & sub aestu
Viuatur mora, vita si moram affert.

AD. RAINALDVM Corsum

Dum uolumina Caesarum reuoluis
CORSE, non minus es decus choreae,

Quae Pindi celebratur in viretis.
Sic misces studijs modos seueris,
Vt te uix grauior repertus ullus,
Vllus uix facilis magis, politus,
Sit salsus magis, & magis disertus.
Perlegi modo PANTHIAM: GIBERTVM
Et quos de choreis notas libello
Lusus, & iuuenum, & puellularum.
Sunt rerum his uaria, & referta sensa,
Vt musas decet, elegantiamq.
Sed si carmina proximis diebus,
Quae misti mihi, proferas sacratis
Olim Dauidis exarata musis;
Haud quidem melius, beatiusq.
Vel auctor sacer, aut prophanus ullus
Famae tot monumenta dedicauit.

AD. I. FRANC. LEONEM

DVm frondent colles, flores nouus exerit annus,
Laetaq. dum blandis arua tument zephyris.
Vinea te oblectat summo LEO uertice Iani,
Et iuuat aureolam ter quater ire uiam.
Qua ueteres ignes dulci meditaris auena,
Praesentis laudas Phyllidis ora sono
Sic non occiduae sentis mala damna senectae,
Sic renouas uitae gaudia longa tuae.
Heu ego sed duro pereo discrimine amoris,
Te Phyllis iuuenem, me facit ipsa senem.

AD. DEVM. OPT. MAX

IN sano quis nunc hominum crudescere leto
Cessabit tandem? gnarus uel parcere sacris?
Ut timor hunc teneat recti, et reuerentia diuum:
Heu quo nunc tellus scelere est imbuta nephando?
Quamq. parat dira cladem connectere clade?
Quousq. a nobis o celsi regnator olympi
Auertes oculos? quousq. haec exarserit ira
Aduersus gentes? ut nil nisi caede cruentum
Cernamus, iaceat terras neglecta per omnes
Relligio, sanctae leges temnantur, & ipsa
Cana fides, cupidaq. pium de mente fugetur.
Cui dabitur tandem coluisse uolumina caeli,
Cui dabitur diam duxisse ex aethere mentem,
Si genus infelix hominum detruditur orco,
Currit et heu piceam semper phlegethōtis ad undā?
Extremam fer opē omnipotens, nos despicit hostis,
Praesentem ueluti nequeas afferre salutem.
Omnipotens miserere Pater, nos eripe leto.
Tot scelerum facies, monstra, immanesq. Tyrannos
Protere, & atroci nos iam tuearis ab hoste.
Et nunc quae saeuis permiscet uiribus orbem
Impia progenies, paenas persoluat amaras,
Sicut arena leuis rapido diffletur ab euro,
Et uita indigna hac, indigna & nomine Christi.

DE. HIERONYMO. AVSTRIAE
Corrigiensi Cardinale. Amplissimo

SI tanta Austriaden maneat cur gloria, quaeris,
Inq. dies crescat splendida fama magis?
Nascenti imperium dat Iuno, Pallas honestum,
Iuppiter ingenium, deliciasq. animi.
Vesta piam mentem, solers Cyllenius ora,
Delia cor, formam donat Acidalia.
Sic colitur, sic laudatur, sic aurea habebit
Secula, sic Orbis Roma futura caput.

AD. IVLIVM. GALLVM

GAlle, qui es latij pater leporis,
Facundi decus oris, ingeniq.
Quis tumor malus, & mali dolores,
Et genu, & latus undequaq. torquent?
Quae febris premit ossa, quae medullas?
Vt sacram nequeas manum osculari
Farnesi, decoris patris latini,
Qui redit Siculis uolans ab oris
Nobis incolumis, diu cupitus,
Et narrat loca, templa, nationes
Mores, & Triquetrum solum, fretumq.
At te febris anhela adurit? heu heu
Vitam inanem hominum, malignam, & aegram,
Sed Gallo lepido nihil timendum est,
Nam curae Hippolyto est, patriq. Phoebo,

Dianae Hippolitus, Patriq. Phoebo,
Gallus gratior omnibus, magisq.
Ipso gratus Apolline, & Diana,

EPIT. IVLIAE. BVBALAE. ROmanae Lectissimae feminae

HEu parcae ut subito ruperunt stamina IVLAE
Mille quibus placidus corda ligabat amor,
Pro dolor, ut cecidit pudor, ut discessit honestas,
Vt puri interiit iusq. decusq. tori?
Illacriment blandae charites, fleat ipsa Minerua,
Ac tristi lacero crine Diana gemat.
Nam ueluti hanc passa est iacturā Roma, verendū est,
Ne Pallas, charites, atque Diana cadant.

AD. PLAVTILLAM Romanam

OMne melos Plautilla tuo dulci exit ab ore,
Ore sedet roseo Cypria, amorq. tuo.
Ambrosioq. refers argutas ore camoenas,
Ore rapis sensus, eripis ore animas.
Singula nos omnes haec uera fatemur, amantes
Quod uerba alliciunt plus tua, quam facies.

EPIT. LVDOVICI. PICI Mirandulani

QVae mors, quae medijs Circe sub floribus oeui,
Quae te uis nobis effera Pice rapit?
Floruit integritas duce te, iustumq. piumq.

Sancta fides per te, sanctaq. Relligio.
Sic non augurium, sic non mens gnara futuri
Saturni pignus seruat ab insidijs.
Heu quae te peperit, tumulo dedit, omine diro,
Heu nota insigni Terra ueneficio.

AD. HIERONYMAM
Columnam

QVod tibi nec par, nec similis nurus ulla reperta est
Te dixisse hominem nemo Columna potest.
Caeleste ingenium, caelestia munera formae,
Omneq. caeleste est quod facis, aut loqueris,
Iure tibi ante oculos Caeli uersatur imago,
Terra tui cultrix numinis haud patria est.

IN. CAECI ALOYSII. HADRIAE
Homericam. Interpretationem

QVid gemis extinctum magni fere carmen Homeri
Passa heu barbaricos Itala terra duces?
Dulcia Maeonidae si incendit pectora Phoebus,
Huius & incendit pectora Maeonides.
Sensa ita diuina hausit quondam maximus Ion,
Atque ita cinxerunt aurea serta caput.
Tam bene quis nouit, nisi Homerus, carmen Homeri?
Ergo quid interpres Hadria? Homerus hic est.

IN. ANNAM

QVae nō est uirgo, quae nō est nupta puella, (parēs.
Haud uidua, haud meretrix est tamē Anna

AD. VINCENTIVM. CAPOchium Romanum

Vincenti ueterum decus parentum
Quo uirtus, pietas, honos Mineruae,
Qua sunt Aeneadae omnium potiti
Olim, dic, abijt, paterq. Apollo.
Et quo Calliope recessit illa?
Heu heu nunc aliam uidemus urbem,
Expulsa probitate, moribusq.
Sed tu qui ingenio es bono, ac beato,
Et mores ueterum refers auorum
Iuncta simplicitate comitati,
Iam Vincenti inimica uince fata,
Et nouissima comparato primis.
Non frustra superi dedere nomen,
Nota prosapia Capochiorum;
Vincendo ut fieret caput supremum,
Et rursus domina inclyta illa Roma.

IN. CVLICES

O quibus humani sitis est tam dira cruoris,
Nec ratio praedae, nec modus ullus adest.
Quid cupitis somnos tinnitu rumpere? aperto
Marte, & in aduersos bella ciere uiros?
Anne sequi audaci uultis Lacedemona bello,
Mulceat anne annimos tibia blanda truces?
Aspicite, ut furtim pulices sua proelia miscent.

Vt furtim cimex nocte, dieq. uorat.
Vos cantu illepidi nigris foedare paratis
Auribus infesti, candida membra notis.
Igne cremet culices tenebris qui praesidet; ite
Sanguiuori, ite procul ite procul bibuli.
Vos neque deuoueo, et minus imprecor illa, quod umquam
Nec tinnis cimex, nec canitis pulices.

DE. CLARICE
Rodulpha

DVm Tybris rapidis premeret torrentibus urbem,
Insano obrueret uortice & arua, domos:
Rure manens, scandit labentis culmina tecti
CLARIX, Hetrusci gloria prima soli.
Missae huc, ne pereat, multae accessere carinae,
Quas renuens casti plena timoris, ait.
His periisse equidem decreui atrocibus undis,
Ni ueniat propria uir meus ipse rate.
I, NATAS nunc Roma tuas extolle pudicas,
Verae exempla haec sunt rara pudicitiae.

IN. IMAGINEM. HIE
ronymi Austriae

CARD. AMPLISSIMI
Corrigij. Domini.

SI quis in extremis positus, uel agrestibus Indis,
(Vellet ubi nomen fama latere tuum)
Cerneret egregiam simulachra imitantia formam,

Perlegeret uultus deliciumq. tui.
CORRIGIO summos cerni iuraret honores,
Et capere inde bonum Pallada consilium.
Quid motus, tabulaeq. loqui si uerba daretur?
Ferret, Atlantiadae uel fore pulchra magis.

IN. MALEDICVM
Poetam

DIi cur tam facinus, piaculumq.
Fertis hoc Bauijq. Zoiliq.
Rictu sacrilego profanus atro
Qui latrat rabidissimos libellos,
Qui cunctos lacerat calumniator,
Et coram socio, omnium corona,
Foedis dentibus hunc trucidat, illum,
Lingua foedior omnibus latrinis
Debacchatur inepte, & impudice
In omnis generis procacitates.
Lingua putida pone tot uenena,
Pone putida lingua tot uenena,
Vah fallax homo, tabide, ulcerose,
Marcebis lybica niger cauerna
Vah paenas stygio dabis barathro.

AD. VICTORIAM
Oliuam

QVae nam pugna mihi fuerit VICTORIA tecum?
Vincere non uinci si tibi posse datum est?
Si capis illecebris, lactas dulciq. ueneno.

Ah cur saeua in nos spicula tanta iacis?
Heu numquam didicit gestare Ericina sagittas,
Quamquam Martis amor, mater Amoris erat.
Non facit, ast patitur potius Venus orta profundo
Vulnera. Non mirum, quae est sata Marte, facit.

DE. MONVMENTO
Hermetis

Non uiuam extincta Hermes Clara coniuge dixit,
Et statuam statuae, seq; dedit tumulo.
Vmbra umbram inspiciat semper, pascatq. uidendo,
Et cineres, cineres atque lapis lapidem.

IN. LOTTINVM. VOLATE
ranum aquae. Potorem

Lottine, est Vatum uinum tutela, meracos
Quiq. cados haurit, grande poema sonat.
Thymbraeum salientis aquae non riuus, at haustus
Nectaris, & uatem dulcia uina iuuant.
Vino uita datur facundis uersibus, undis
Sed uersus fluidos uertitur in latices.

IN. AQVILAM. OVINA
Pelle uestitam

Miraris diuina Iouis mentita iuuencum
Ora, uel ex cycni uoce referre sonum.
En maiora tibi praebet miracula Roma,
Quae uolitans semper fama loquatur, habe.
Inuictus domini uiuus Iouis armiger ales

En est fullonis mortua facta pecus.

AD. PVELLAM
Nursinam

QVid grauidus penso fusus, quid texta retardant
Stamina, quid lateri te bene culta colus?
Quid calathus, quae lana tui est impexa parentis,
Pectine quae arguto dilaniata satis?
Munera egestatis sunt haec, non Palladis artes,
Quae miseram ualeant exaturare famem.
Huc ades, & male sana morae dispendia uitae,
Huc ades, huc adsit risus, amorq. Venus.
Forma, puella, fugit, dum fas est, lude, iocare
Nobiscum semper sunt labor, & lacrimae.

AD. CATERVVM
Foliettam

CATERVE, heu quid amantium cateruas
Liquisti, ut pater impudentiarum
Digno supplicium daret reatu?
Te chori Aonidum puellularum
Amant, te uiolae, rosae, & ligustra,
Te riui queruliq. & obstrepentes,
Nequaquam hi scelerati, & hi Procustes,
Voce qui resonant truci, & boatu,
Qui sunt impia monstra, uersipelles.
Huc adsis salibus, facetijsq.
Ad fontes gelidosq. limpidosq.
Lite, & seposita seueritate.

Huc adsis, quoniam canis maligni
Flammam, & Erigones fugabis aestum.

DE. PAVLLO. CATENA
equitum praefecto

DVm premit armato Vestinos milite campos
Braccius, Insubrum, Parthenopesq. duces,
Irruit in medios equites peditesq. CATENA
Perrumpens acies agmina densa fugat.
O factum immortale uiri, qui fortibus ausis
Inuictam Bracci uincere uim potuit.

AD. CLOELIAM. SALOMONIAM
Oliuam. Dominam. Plani. Mileti

O quam Pallas amat, Venusq. casta
Decus, CLOELIA. Romuli nepotum,
Vnde est haec tibi tam catella parua?
Rara, candida, bella, delicata.
En ut cursitat, adsilit, latratq.
Multis blanditijs, iocis, querelis,
Blandis nequitijs, loquacibusq.
Vnde est haec tibi tam catella parua?
Tuae deliciae, sales, lepores,
En ut basiat, ut tuas papillas
Quaerit, impetit ut sinum pererrat?
En ut candor, amor, fides catellae
Exemplo poterit nouo docere,
Quid bellae deceat puellae amantem.
Vnde est haec tibi tam catella parua?

AD. VINCENTIVM Gonsagam

VT iubet Aiacis tumulo fluitantia Virtus
Aeacidae ferri magnanimi arma ducis,
Vt non passa diu est meritos non reddere honores,
Vtque fuit spreti gloria nobilior,
Sic qnae despecta est modo, frons tibi cincta coronis,
Assyrioq. ardens murice uestis erit.
Vtque Aiax, rabidam uincet Vincentius omnem
Inuidiam, ueniet sponte negatus honor.

AD. VIRGINIAM. CVM plorantem uideret

QVid Virgo, lepida, aurea, & uenusta
Toto corpore, & ore uirginali,
Corrumpis lacrymis nigros ocellos?
Quid suspiria crebra, quid dolores
Deturpant labra uerna, mollicella?
Quid ah quid tenerum caput reflectis?
Iam Virgo lepida, aurea, & uenusta,
Bella iam mage lacteis papillis,
Ah parce aureolo puella crini,
Stulta quid laceras genas? quid heu heu
Quid tota in lacrymas fluis tepentes?
Me decent lacrymae, meumq. pectus,
Quot totum uritur impotente flamma,
Perfundi fluuio isto amarulento,

Vt parum gelida refectum ab unda
Saepe, ac saepius adsit ustulandum.

AD. ALEXANDRVM Guarnellum

GVARNELLE. Aonij pater leporis,
Quem amat Cypria, quem fouet Cupido,
Quem lis conficit omnibus diebus,
Sed lis illepida insolens, molesta,
Non qua conficiunt puellae amantes
Ex pulcha facie, igneis ocellis.
An carmen patiar latere nostrum,
Quod lusi in teneram puer puellam?
An dulces patiar perire amores,
Risus, nequitiam, ebrios cachinnos,
Tot lites Amathuntiae, & duella?
Non non quae impius, & parum modestus
Affert ex Erebo tibi, & barathro
Ingratus, lacerans bonos poetas.
Nescit quid ualeant boni poetae
Scelestus, temerariusq. & audax,
Nescit quid ualeat furens Iambus.
Linquamus modo quidquid infaceti est,
Linquamus modo quidquid est minarum.
Et mihi optime Rhetor, & Poeta
Dic si Virgo nitens, meumq. carmen
Sit salsum, lepidum, eruditulumq.

AD. VIRGINIAM
Sponsus

SVperſint hederis tui lacerti,
Stellis ſuauia, quot nitent Olympo,
Da mi & alterum, & alterum, nec umquam
Ceſſa Virginia uſq. ſuauiari,
Donec commoditas datur, labellis
Excipe hanc animae tepentis auram.
Da mi ſuauia promulis labellis,
Da mihi exanimata murmurillo,
Ceſſas Virginia uſq. ſuauiari?
Colla pingere uita purpuriſſo?
Da mi, heu ſentio me mori, labella.

AD. FABIVM
Beniuolentium

CEſſas lentula Muſa adire uatem,
Notum gratia, & eruditione,
Carum deniq. maximo Tridento,
Patri magnanimo, atq. liberali,
Patri me hercule liberalitatis,
Faceto, lepido, undecumq. docto?
Blanda Iam Fabio, & bene auſpicata
Plaudas libere, & uſq. blandiaris.
Iam tangit quoniam libellus aureus
Sancti Pontificis manus ſacratas,
Laudat, atq. probat, bonos poetas
Caepit diligere optimus ſacerdos.

DE. VIRGINIA
Echo

AN ne lates Virgo hic hic. Heu remorare? Morare.
Heu quae me excruciat, Virgoq. clamat? Amat.
Cur sic errantem ludit me perfida? Fida
Fida ades? aes. A me poscat ut aera? ut hera.
Sufficit esse accensum? censum. sic furit? urit,
Haec mala amatori sunt in amore? morae.

DESCRIPTIO. INGRATI. ANIMI
ex ueteri Graeco. Libro

SIc ingrati animi antra caeca morbus
Intrat, ut radijs lues nephanda
Interdum icta fugam petat, perosa
Solem, pallet & ore tota, longis
Dentibus fera, turgido, atque adunco
Naso, tum lacero, putriq. amictu.
Vt uesana fames solet uideri.
Ibat per loca senta, & horrida olim
Nunc audet coluisse ciuitates
Magnas, tangere Principumq. tecta.
Imprudentia decolor, dolusq.
Sectatur comes omnium colorum.
Clauda iniustitia, inuidum, atque auarum
Virus, saeuities cruenta, longa, &
Alta obliuia subsequuntur illam,
Atque ignauia, & omnium impudica
Iuxta infamia ponitur malorum.

Et circum specus arbores uirescunt
Plurimae, at steriles, tenaxq. serpit
Hinc, atque hinc hedera, alnus, & cupressus,
Laurus, & platanus, salixq. surgunt.
Quas multi colere & student, & optant,
Vanos denique sed uident labores.

IN. VIRGINIAM
Sponsus

HEu quis me impius, insolens, & hostis
Abstulit miserum à mea puella
Quis heu Tybridis ad fluenta adegit.
Heu tam molliculam, atque delicatam
Virginem mihi melle dulciorem
Heu liqui modo montibus beatis,
Quaeis sedet Venus, & potens Gradiuus.
Vere sunt mihi & omnia aegra, & atra.
Plorate o miserae meae camoenae,
Et uere hoc scelus improbate cuncti.
Hoc uere hendecasyllabi querantur,
Heu quis me male peruicacitate
Quis strabo male perdidit misellum?
O malum mihi morte finiendum.

DE. FELICI. COLVMNA
ad. Iulium. Molem

SIt licet Ascraeis Sappho soror addita Musis,
Mireturq. nouos Graecia tota modos.
Illud formosae titulis Felicis Iule

Neglige, dicetur facta beata minus.
Scilicet hoc primo Felix decoretur honore,
Musarum dominam quod sua forma facit.

PRO. SILVIO. TAVRELLIO
In. Annam

SCortillum illepidum, & sat exoletum,
Quod nunc uersiculis tumet malignis
Armauit rabiem in meos iambos?
Pimplae qui colitis sacros recessus,
Apolle, o, bone, uos bonae sorores
Furcillis agite hoc inane praeceps.
Illa stulta, loquacia, illa labra
Sunt ausa impetere aureos libellos?
Ausi scribere perfida & dolosa
Hamati digiti, recurui, adunci?
Moecha putida, moecha foeda, fallax
Vibras eminus impias saggittas?
Nostra in carmina tu uomes uenenum?
At, at putida moecha homunciones
Istos, qua lubet, ut lubet, moueto,
Vt me uersiculis diu lacessant,
Deturpo faciem nota perenni
Iam moechae, rabidaeq. adulterisq.

AD. LEONORAM. SANVITALEM
Giberti. Comitis. Salae. Filiam

O Sidus Cypridis, decusq. Phoebi,
Raris dotibus aucta, & aucta dulci

Dulcium charitum lepore, lingua
Latina LEONORA perpolita,
Te Tybris uocat, aureaeq. nymphae
Pictae tempora floribus coruscis
Expectant hilares, parantq. mille
Lusus, oscula, Delphicasq. frondes
In sertum tibi. nil morare, patrem
Solatum ueni, amorq. suauitasq.
Castae deliciae puella patris,
Quem lis assiduo premit dolore,
Quem notarius, & rapax patronus,
Iudex aucupio peritus aeris
Expilant, rabulae simul forenses.
Huc ueni, & numeris nouis puella,
Quales sufficiunt tibi camoenae,
Tybridis teneas fluenta, & omnes
Nymphas allicias, chorumq. Phoebi.

DE. PIO. V. PONT.
Maximo

CVm Roma spectante sacra, totoq. senatu
Ornaret summum sacra corona caput,
Relligio erexit multos neglecta per annos
E Vaticani uertice caesariem.
Et dixit PIE sancte, dies laetissima tandem
Venit, qua fient debita sacra Deo,
Quaq. ego terrarum totum diffundar in orbem,
Qua discant ritus barbara turba pios.
Viue diu, afflictis passim iam consule rebus,
Non nisi te uiuo uita futura mea est.

AD. CLAVDIVM. MEDOLAM & Hippolytum. Festam

APposito CLAVDI celebra conuiuia baccho;
HIPPOLYTE & larga funde falerna manu,
Discedant curae insomnes, procul este labores,
Est genio nobis haec agitanda dies.
Aspicite, ut Paullus toto se proluat auro,
Plena salis cantet carmina pulcher Hilas.
Quid spectas, frontemq. trahis? mihi crede Medola
Tam sapere, est omni tempore desipere.

AD. SCIPIONEM Lucium

LVci candide, & optime, elegansq.
Ne uiuam, nisi uita acerba semper
Est mihi, careo allocutione
Cum tua, & lepidis iocis, cachinnisq.
Illitis sale, & attico lepore.
Hic licet uireant rosae, arbor, herbae.
Amarae mihi sunt rosae, arbos, herbae,
Dum te non uideo uenuste Luci.
Tu Luci es pater omnium leporum,
Tu Luci pater es facetiarum,
Amant te pueri, puellulaeq.
Amant te iuuenes, senesq. & ipse
Amabo, mihi caelites amandi
Dum sensum dederint, amare pergam
Dum lux splendida Appollinis manebit.

AD. CAROLVM Plancum

Obscura, ut nullis pateant, tua carmina pangis,
Non ne idem facies, Carole, si taceas?

DE. SE. IPSO

Hyberna iuuenis solitus pallescere nocte,
Quae me uirgineis implicuit choreis,
Multa tuli ingenui patris conuicia, semper
Hortantis grandes cogere diuitias.
Fluxius esse nihil, Pluto nil caecius ipso.
Contra ego diuitibus uitaq. morsq. eadem est.

AD. BAPTISTAM. DE Iordane. Fratre

Dum lingua, et digito multa, ac metuēda minaris
Baptista, frater tunc tuus ipse tacet.
Dum modo uis etiam ferro hunc absumere, in illum
Immitis rapidas dum modo ferre faces.
Verum ego te tanta haec, & sic tam multa loquentem
Nil equidem curo, curo quid is taceat.

AD. AVLVM. SEMPRO nium. Medicum

Turpis es Aule, tua est cōiux turpissima, pulchris
Quomodo dic natis auctus es ipse decem?
Ah sensi, cum te fuluas inquirere myrrhas,

Ac

Ac pinus uidi, palmea uina, crocum,
Mellaq. tum uarij miscentem pocula succi,
Ah tandem scio, quid fecerit Hermesias.

AD. FABIVM. Petronium

BAcchus non hodie aureus, suauis,
Qualis aedibus his repertus olim est,
Non Ceres niuea, arborumue foetus,
Dulces nec pepones, aquae sed ortu
Aestiui canis aestuantiores,
Ingrati nemorum leues susurri,
Ingrata & fere cuncta ibi fuere.
Quid causae tibi Petroni putandum est?
Is, tu quem Lesinam uocas frequenter,
Fit ne auarior indies, & horas?

DE. ALEXANDRO Magno

COrpus Alexandri fuit expers funeris, illi
Nemo, qui uellet soluere iusta, fuit.
Quam bene, qui superum uoluit sibi sumere honores,
Contigit huic nullas accipere inferias?

CVSTOS. HORTI. PAVLLI. BVbali ad Viatorem

QVisquis es, huc poteris tuto diuertere, & ipsis
Dulcia ab arboribus carpere poma meis.
Non hic terribili est custos mutone priapus,

Pellere quo furem, cuiq; nocere solet,
Hic Phoebus adest, Helicon, castaeq. sorores,
Et iuuenes doctae Palladis arma cient:
Nec canis horrescas ingentia guttura. Paulli
Edidicit mores, ingeniumq. sequi.

DE. ANNIBALE. CARO
AD. GALESIVM. VENETVM.

Nobis blandus, amabilis, GALESI.
Nobis candidus, optimus disertus,
Nobis Carus habetur, & uenustus,
Hinc uersus facit ipse cariores.

AD. FABIANVM.

Sic Fabiane tibi torpet rubigine laesa
Mens, tuus ut uilis est cibus usque faba,
Nec iacta uentrem tibi non abdomine tardum,
Ventre tumet quoniam mens magis ipsa tuo.
Quid te consilio Fabium superare putasti?
Quid ue mihi fraudes nectere, quidue dolos?
Cum alga uilior ipsa sis, stipulaq; fabali,
Cudetur quoties in caput ista faba?

DE. CVRTIO. CARSIDONIO. AD
Nebulam. Fluuium interfecto

Dum fert securus per prata uirentia gressus
CVRTIVS, & uisco fallere tentat aues,
Addit se comitem scelerata mente colonus;

Auri quem caecus sollicitabat amor,
Et iuuenem fato miserum demergit acerbo
Ad Nebulam, Bodij qui rigat amne solum.
Patratum fluuie hoc facinus tu cernere es ausus?
Nec puduit probris exeruisse caput?
Vidisti hunc iuuenem, nutrit cum pulcher Apollo,
Excepitq. sacro Calliopea sinu.
Vidisti & mores, & doctae fulmina linguae,
Vidisti in niueo pectore consilia;
Non ne huic auxilium debebas ferre cadenti?
Detegere & fraudes, impia tela, dolos?
Non ne uides perijsse simul iustumq. piumq.
Non ne uides fratri tot superesse mala?
Nunc uere nebula es, nunc tempora nubila fient,
Omnis tabescet nunc uaga lympha tibi.

AD. BARTHOLOMEVM Mancinum

EXplicuit frontem non tam MANCINE decoram
LEVCIA. nec roseae tam nituere genae,
Nec tam marmoreo plausit pede nympha choreas;
Dicis, quare habita est pulchra? pudica fuit.

DE. SE. IPSO. AD PAtriam Vocato

EN iterum montes cogor superare niuosos;
Et patrio antiquo soluere uota lari;
Sunt heu quam diuersa meae discrimina uitae?
Nursia me reuocat, Nortia dura fugat

EPIT. CARBILII. RODVL phini Narniensis

QVod iuuenis tristi tegitur Carbilius Vrna,
Ipsius haud ueniunt fata dolenda mihi.
Palladi nam teneros bene qui sacrauerit annos,
Non parua aufugiet pars Acheronta sui.
Huius flere nefas obitum est. Quater ille beatus,
Non annis, sed qui plenus honore perit.

DE. HELENA. PARA uicina. Olgiata

DVm sancta facie, ore, spirituq.
In templis Helene Deum rogaret,
Seruaret sibi ut usque castitatem;
Dum tantum superis dicata diuis
Et rarae fidei, ingeniq. cunctis
Exemplum mouet innocens puellis,
En quidam uritur impotente flamma,
Et cupidine pruriente, furtim
Prestauit digitis latus sed illa
Tunc exuta pedem licentiosi
Percutit crepida os, genamq. amantis,
Hostili & maculat cruore templum.
Quid strabo, temerarie, atque inepte
Orsa inania concipis? Lacaenam
Credebas Helenam hanc? miser uideto
Romanas genus esse de Sabinis,
Quae urunt omnia, nesciuntq. flecti.

Ergo uos cupidi, & libidinosi
Hinc pedem, atque manum abstinete post hac,
Ni iam uos crepidam experiri auetis.

DE. LIVIA. BECCARIA AD. MVSAM. VT. DIOMEDEM Burchesium adeat

VAtem, Pieri, conueni sodalem,
Qui nunc castalia eminens ab unda
Pangit millia carminum trecenta,
Et ultra haec etiam tribus diebus.
Marcellae cito redde codicillos,
Pandoram quibus extulit puellam
Et docte satis, & satis decenter.
Post haec sedula Musa dic in aurem,
Me dulci alloquio, & tenellulo ore,
Et pulchro Ticines sinu peruri
Angi purpureis genis pudicam
Vitam, & ingenium, probosq. mores,
Mirari, Veneresq. simplicesq.
Vrbanos, faciles iocos, lepores,
Me paena quati, & hac graui, uel illa.
Sed ut spes redeat mihi salutis,
Ex almo illo Heliconidum recessu
Paucos uersiculos canat precare,
Queis pulchram celebret meam puellam,
Atque his me languoribus iacentem
Subleuet. mihi uita restituta
Seclis perpetuis sibi obligetur.

AD BARTHOLO maeum Serenum

Scribere Threicio resperſum ſanguine pontum,
Tantaq. uictrici parta trophaea manu
Inſignes celebrare uiros, heroas, & arma,
Condere ueridico geſta SERENE modo,
Nec minus aduerſum ferro te currere in hoſtem,
Haec referunt magni Caeſaris acta Ducis.

AD DIVAM VIRGInem Mariam

O flos Virginei chori, decusq.
Iubar ſidereum, o ſalus reorum.
Sola Virgo parens, Deiq. ſummi
Mater, filia, ſponſa, te oro ſupplex,
Vt flectas prece filium tonantem,
Det mentem mihi candidam, meisq.
Erratis nebulas fuget, calentes
Reſpice hos gemitus, uide hos anhelos
Aeſtus, atque dolos rapacis Orci.
Me circumſiliunt Amor, uoluptas
Noxia, anxietas, amaritudo,
Vt ui x ſuſtinear genu labante,
Da Virgo mihi dexteram, meosq.
Greſſus dirige, noſtra corda Virgo
Dure ob arma adamante, ne ſaggittis
Amplius petat improbus Cupido,
Mendax, ſubdolus, efferus procaxq.

Has mundi illecebras, grauesq. morbos
Expellas, animamq. spiritumq.
Nunc tuo repleas amore sancto,
Vt discat mea Musa nil sonare
Caelestem nisi Virginem parentem.
Sic tuae fidei, atque sanctitati
Sacrabo studium, modos, lyramq.

AD ELEONORAM SANVITA lem Scandiani dominam

O quae formoso cultu splendescis, & arte
Ingenua superas Eleonora uiros,
Siue canis uerbis modulatum carmen Hetruscis,
Seu latio doctos exprimis ore modos.
Seu tibi Cecropiae studio spectantur Athenae,
Ignea solerti seu petis astra uia.
Siue oculis, risuq. beas, chorcasq. celebrans
Ad numerum uario seu pede laeta salis.
Quidquid agis sequiturq. decor, charitesq. sequuntur,
Vndique spectatum femina, uirq. uenit.
Ista potest uere nimium di uina uocari
Quae ingenij & uultus splendida forma capit.

IN DARIVM RAINERIVM Nursinum in Epitaphio

OBruor effuso lacrimarum flumine marmor,
Et mihi uita breuis, nam quoq. saxa liquent.
Fallor, mansurum producam funera in aeuum,
Quod datur insignes sustinuisse notas.

DE CLOELIA MANCINA PICCOLOMINEA AD IO. FRANC. LEONEM.

Cloelia si quondam statua donatur equestri,
Audax quod nihili uincula Hetrusca facit,
Altera, quid merita haec, quae nunc domuisse Leonē
Purpureo solum, quo nitet, ore potest?
Ac trahit huc illuc insigni uincta Catena,
Et dulci cogit Romula colla iugo.
Seu uarias agilis uelit exercere choreas,
Promere seu roseis blandula uerba labris.
Fac, Leo, non alio caleat tibi pectus amore,
Solaq. sit cordis Cloelia cura tui.

PETRARCE CANTIONEM QVANDAM LEPIDAM, AC SUAUEM H. CATENA AD UERBUM SIC UERTIT.

Lumina, quae ardenter cecini, niueiq. lacerti,
Atq. manus, belliq. pedes, faciesq. decora,
Queis adeo raptus fueram, queis tempore longo
Conspicuus, turbaq. procul secretus ab omni.
Crispataeq. comae ex auro puroq. nitentiq.
Aethereus risus tam dulcem lampada quassans,
Gaudia qui Caeli terris praebere solebat,
Heu cineres sunt exigui, sensuq. carentes.
Et mihi uita manet: qua re doleo indignorq.
Quod sine dilecta tantum sim luce superstes,
Magna ego tempestate ferar, trabe ducar inermi.
Hic iam sit nostri cantus, & finis amoris,

Ingenij ſicca eſt, olim quae uena uigebat;
Et cythara'i lacrimas uerſa eſt mea dulcis amaras.

IN. MAGNVM. ETRVRIAE. DVCEM ne iudex munera accipiat prohibentem

VRbs tua, tam floret, quam Thebe floruit olim,
Nam iudex manibus nunc caret ipſe ſuis.

IN PANDORAE PELLINAE Oldae Peruſinae obitum

NYmpharum decus eximium, diuumq. ſuperba
Muneribus, quae te ſurpuit atra manus.
Abſtulit immitis flauos Amathuntia crines,
Abſtulit heu faciles ſaeuus Appollo ſonos?
Ingenuas artes Pallas, Cyllenius ora,
In te tam ſubito Saeuijt ira Deum.
Altera, quae tulit huc, mala tu Pandora fugaſti,
Reddideras claros lumine pulchra dies,
Nunc nocte obruitur tellus male ſana, malorum
Nunc ruit humanum colluuione genus.
Heu tecum nunc Forma perit diſcedit Honeſtas,
Pyxideq. è dura ſpes quoq. clauſa fugit.

EIVSDEM EPITAPHIVM

AVguſti colles, & flaua Tibris arena,
Te Thuſci fleuere lacus, Traſymenus ab alueo
Ter tumidos tollit maerens ad ſidera fluctus.

Tu patriae laudes, gentis tu nomen auitae
Extuleras probitate tua, specieq. nitenti,
Qua nulla in toto maior fuit orbe: sub ipso heu
Flore cadit, nec tristi expalluit Aeacus urna?
Funesti colles, funestaq. patria nunc iam
Dicenda, extinctae nymphae collapsa ruina.

VERONICAE GAMBARAE VITA A. I. HIERONYMO CATENA

LATINE. REDDITA



ON sine illo rerũ parentis consilio factum est, ut Gambarae familiae, quae maiorum gloria, & uirili fortuna praeclara habetur, nouum decus addi muliebris, uirtutis, anno a partu Virginis quadrigentesimo octogesimo quinto supra millesimum inciperet, nocte ea, quae consecuta est Prid. Kal. Dec. quo tempore VERONICA nata est. Inciperet quidem, nam secundum eam duae sorores in lucem edite sunt, Violantia, & Isotta: ambabus his cum illa ingenium prope aequale fuit. Si uero minor natu, sicuti in flore aetatis occidit, ita senectutem ipsam adepta esset, eius ingenium,

uti pleriq. existimant, adaequasset. tamen neque alijs Veronicæ gloria adimi potest immortalis, quin omnes anteierit, & à Petrarcae temporibus vsque ad hanc tempestatem, cum Etruscus sermo ad summam elegantiae munditiam, atque ornamentum peruenit (quod tunc fuit) quin prima ex omnibus huiusmodi dicendi genus prosecuta sit, atque eò processerit, ut quamquam fieri possit, non nullam inueniri, quæ praetergredi ipsam aliquando ualeat, omnes tamen (pace earum dixerim) sibi habuerunt, atque habent, et habebunt Veronicam ducem sempiternam. Neque mirum uideri debeat, si Veronicam, quae cum Bembo erudita, et ab eo primis poeticae nutrimentis educata est, talem mulierum ducem, qualem Bembum fuisse uirorum praedicent, licet is optimus, & uno consensu primus bonarum litterarum assertor, princeps omnium quae nostra aetate prouenere scriptorum praeclara ingenia, extiterit. Gaudio igitur etiam atque etiam triumphent nostra tempora, quae Bembum unà & Veronicam nacta sunt: non eam ante, aut post ipsum, sed ambos aetate coniunctos, & pari consilio animum sibi ad uirtutem accendisse, ut eorum uirtus omnium seculorum posteritati lumen foret, & ad eorum sequenda uestigia minores inuitaret. Aurea uere nostra tempora rebus admodum multis, uerum ex his gemmis porro clarissimis insignia duxerim & longe amplius, si quidquam amplius dici, aut cogitari potest. Ad hoc: socratico amore inter se

accensos, usque ad summam senectutem animos, nulla tamen lasciuia, aut humana cupidine labefactatos, sed similitudine uirtutum, ac caelesti beneuolentia captos flagrasse comperimus: ut illis diuino numine furor afflatus haberet, quo merito se concitaret. Musae enim sine amoris igniculo frigescunt, ac muto ore uidentur. Virgines tamen eiusmodi sunt, ut profanas ne cogitatione quidem, aut uerbis facere parum honestis umquam liceat. nunc ad rem redeo. Gambara gens (quod omnium sermone celebratur) Brixiam natalem sedem antiquitus habuit. nonnulla tamen Opida in sua potestate, ac ditione tenet: e quibus uno forte tunc erat mater, cum Veronicam peperit: id est Prato Albuini, quod non longe distat ab flumine Mella. Ioannes Franciscus genitor, parens uero Alda fuit e familia Pia Carpensi profecta. cuius fratres Cardinalis Vbertus, Brunorus, Hippolytus, et Camillus fuere. Iam dixi, uti ab ipsis uirtutum rudimentis, et incunabulis honestissime cum Bembo alta Veronica est. Vbi uero apta uiro extitit, Giberto viii. Corrigij domino nupsit, cui Violantia Pica Mirandulana antea nupta fuerat. Cõtulit se, ut perbelle sors nostra tulit, ad nos, ãno post Virginis partũ millesimo quingẽtesimo nono: et duos liberos Hippolytũ, et Hieronimũ breui nobis genuit, ac ualuisset ꝑ aetatẽ alios gignere, nisi ĩ morbũ incidisset. Ex quo medici uiro dixere, ei necesse esse, aut uxorẽ, aut spem filiorũ amittere. Sed ipse coniugis meritorũ iudex, et aestimator optimus

amorem filiorum post illius salutem duxit. Ita Veronica pharmaco sumpto, conualuit: sed sterilis reddita est. dein cum uiro uixit usque ad eum annum, qui fuit à partu Virginis decimus octauus supra mille, & quingentos, ad vii. Kal. *Sept. quo tempore naturae uisum est aeternae, uiduam fore debere, ut eius uirtus quauis fortunae conditione spectaretur. Erat adhuc satis integra aetate, tantumq. ex hac acerbitate dolorem hausit, ut quartana febri laborauerit, quae ex atra bili conficitur. Itaque diu infirma ualetudine fuit. Tandem confirmato corpore animum sedare caepit, ac semper uiduam esse statuit; uoluit etiam id unicuiq. qui cubicula sua ingrederetur, nulla percunctatione quaesitum, innotescere: igitur ea omnia pulla ueste operuit, circumscripsitq. recte, ac pudice duo illa Virgilianae Didous carmina.*

Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetq. sepulchro.

Neq. ob id ingeniū incultu torpescere siuit: Sed uti antea bonarū litterarū studio intendere, benignitate, ac facilitate uti, ut pudor, suiq. animi liberalitas ferebat. Ex eo uiros uirtute praeditos semp humaniter excepit, eorū, q in ceteros obtinēt dominatū amicitia usa est, omnib⁹ uehementer cara. Nec ex illis aliud quàm Caroli V. Caesaris locupletissimum testimonium proferam, qui dum Corrigij diuersatus est, Veronicae dixit, se tribus de causis ipsam amare: uirtute primum, atque eius nominis cele-

britate, dein necessitudine, qua sibi adiuncta erat. Corrigij enim domini ex uera, legitima, atque antiqua domo Austriae profecti sunt. postremo quod soror esset Vberti Gambarae, de quo supra memoraui. Qui uirtute ceteris praestabant, hos Veronicae proximos, familiaresq. fuisse nemo ignorat. Bononiae enim cum Carolus a Clemente vii. Imperij Coronam accepit. dum ibi principes illi uiri mansere, quod non exiguum temporis spatium fuit, Veronicae domus, uti Academia, celebrabatur. quo de maximis quaestionibus quotidie cum illa disserendi gratia confluebant Bembus, cuius antea memini, Capellus, Molsa, Maurus, ac omnes, quotquot fuere ex singulis Europae partibus clarissimi uiri, qui regias illas frequentabant. Quas eius laudes carmine efferat Ariostus, quis est omnium quin saepenumero audiat? Quantum ei complures alij, & loco illustri positi, et maximi scriptores tribuāt, in diuersorum auctorum operibus abunde comprobatur. Ceterum postea aliquanto, ubi hi amici de uita migrauere, partim uero huc, atque illuc dispertiti sunt. Veronicae ceteris studijs post habitis, sacris litteris tantum enixe operam dare consilium fuit multa eius generis, sicuti inter poemata ab ipsa condita uidemus, conscripsit. postquam uero uitam usque ad annum Iubilei, ut nunc loquimur, à Virginis partu supra mille, et quingentos, quinquagesimum traduxit, Idibus Iunij mortem obijt: eo porro die, quem maxime omnium ob diui

Antonij Patauini sacra solemnia uenerabatur. quã rem non absq. singulari Dei beneficio, gratiaq. concessam, multumq. ad aeternam, et beatam uitam iuuasse facile credam. Postero die, ad aedem Diui Dominici, ubi fere omnes Corrigij reguli humati erant, extra oppidum delata est, tum oleae, tum lauri ramusculum, praecipuum Veronicae insigne, atque ea dignum, in ore habens. Tumuli locus uiro proximus fuit. Ingens moeror eo funere populum inuaserat: me quoque quam maxime, qui harum rerũ, quas historiae mando (uti Aeneas inquit) magna pars fui, ac ueluti Euangelij scriptor Ioannes partim uidi, partim uero ab ipsa audiui. cui postquam aliud studij, summaeq. obseruantiae, qua illã colui, signum ostendere non possem, uersus dicaui, fixiq. in monumento, quorum exemplum infra scriptum est.

Gambara sub tumulo iacet hoc Veronica Princeps
Corrigij, solo nomine nota satis.
Quam coluit quicunq. Heros, quicunq. poeta
Quam cecinit, lapide hoc Gambara contegitur.
Gambara stirps, nomen Veronica, Brixia mater,
Musa Erato, Titulus Corrigium, & Tumulus.

Veronicae Gambarae bonorum omnium fortunae corporis, atque animi cumulatiss.

Mulieri.

HIPP. ET HIERONY.
duo Corrig. Principes Filijq.
moestiss. P

Si Veronicae oris habitus cùm reliquis corporis partibus conuenisset, ipsa omnino formosa, et ad exactam usque aetatem uenusta haberi poterat: Ceterum facie etiam si deformi non esset, satis tamen decora nũquam fuit. quam rem plane eloquentia magis, ac magis pensauit, que ex ore longe maior, quàm stylo exibat, adeo dulcis, ac pura, ut quicunq; cum illa sermones de quauis re conferret, simulatque discederet, miro eiusdem orationis desiderio afficeretur. Bona corporis sui habitudo uel ex hoc cognita est, quòd illam ualde modica exercitatione tuebatur, & tamen ualetudinem fere numquam amisit, diu uitam coluit, neque umquam dum legit, scripsitq. necesse habuit conspicilio uti. Dium uitare, seq. ab illo, quantum poterat, abducere insueuerat. Vtebatur eo cibo, qui maxime aleret. poma recentia, atque id genus esculenta contemnebat. Non alea grata, non uoluptaria fuere. In doctrina in primis studium suum collocare, ac inter amicos de re praeclara, atque omni laude digna colloqui maxime cordi erat. nil pensi, neque moderati non habere. erga omne hominum genus, summos, infimos, hoc, aut illud aetatis urbana, et comis uidebatur. grauitatem, suauitatemq. iuxta retinere. Puerulis, quorum (ut sacri libi memorant.) sedes beatorum sunt &

libentissime blandiri. numquam iracunda, aut si foret, mature acerbitatem illam remittere. accepta uero iniuria, plane ignoscere, quàm persequi malebat. Ut pacem inter se dissentientes ciues uellent, summa ope nitebatur: ut conficerent, sua perficiebat uigilantia, prudentiaq. singulari. In educandis libris, uti nobiles decet, mirabiliter industria: ad hoc uti irent primum uia, qua summa claritudo paratur, ac inter se concordissime uiuerent, perspicuum ceterarum matronarum exemplum, quae filios educant, ac populis praesunt: earumq. maxime, quae discordiam, tanquam hereditarium morbum domi habent. Maculae, quae Ueronicae inuri uidentur, hae sunt: amasse, ac defendisse nimio studio amicos, & familiares suos: assentatoribus aures patefecisse: credulam se praebuisse. Sed facile eluuntur. non enim eo animo erat, ut ij, quos caros habebat, iniuriae licentiam, aut foeda facinora exercerent, eius fauore confisi. nullis enim tempestatibus priuatorum audacias nutriuit. Uerum cum deliquissent, ut eos desereret, adduci minime poterat. Credulitatis autem nulla alia ratio uidebatur, quàm ex suo alienum animum metiri: & unumquemque, ueluti se ipsam nouerat, probum existimare. Assentatores audire, cum haud quaquam superbiae obnoxia foret, nulla ex alia re fiebat, quàm ex ingenij sui facilitate. Ea omnis labes si forte alicuius animo inesset, purum illũ ac syncerum potius, quàm quidquam aliud, indicaret. quando nemo hanc ab erroris humani culpa uacuam uitam degat. Fuit Ueronica, ut uidere licet,

uacuam

in genere dicendi candido, ac dulci iuxta atque doctissime erudita. Et in soluta oratione ita, ut in carmine ualuit, sicuti nonnullae eius epistolae inter diuersorum auctorum monumenta iam editae testantur.

I. HIERONYMVS. CATENA Hersiliae Cortesiae. S. P. D

Elatus sum laetitia, cum primum superioribus diebus Bibliothecam Rainaldi Corsi ingressus, incidi in duo uolumina Epistolarum Gregorij Cardinalis patrui tui, amplissimi uiri, atque omnium bonarum artium scientia instructissimi. quae cum auide euoluerem, & sermonis elegantiam, tum expolitum, tum suaue dicendi genus admirarer, cum Rainaldo his uerbis agere coepi. Quid tu homo doctissime, atque eloquentissime pateris, rebus maxime praestantibus, ac clarissimis tenebras offundi? A quo ita edoctus sum, te omnem (ut aiunt) mouisse lapidem, ut reliqua, quae desiderantur opera, multa sane, ac praestantiora ab ipso Cardinali conscripta haberemus, quae terra, mariq. ut conquirerentur, praemandasse te, tamen nullo esse loco reperta. post demum usque ad ultimam Britanniam homines delegasse, quando acceperas iussu patrui tui ad Cardinalem Polum delata fuisse, ut illius egregij uiri heredes conuenirent. Verum omnis frustra diligentia adhibita est. nam cum illa hereditas ad litterarum ignaros peruenisset, uel ea monumenta sciderunt, quod nihil lucri continerent, uel, uti nunc sunt

tempora in his locis, perditissimorum hominum haereticorum manus eo odio, quod in ueram, atque antiquissimam religionem habent, cum his libris nil esset religiosius, lacerarunt. His potissimum causis aiebat Rainaldus te parum propenso animo esse ad haec Epistolarum fragmenta diuulganda. subuerebaris enim, quod inconcinna, & non satis explicata uiderentur, ne minima haec patruus tuus, qui maxima opera molitus est, omnino ipse contempsisset. Sed longe mei alia consilij ratio est, dabis mihi hanc ueniam, nobilissima Hersilia, si liberius tecum loquar. In primis illud existimare debes, Gregorium Cardinalem ab incunte aetate studio litterarum incensum, multum ad dicendum, et ad omnes bonarum rerum disciplinas natura ipsa ualuisse, quae non solum familiae Cortesiae uiros ad singularem quandam uirtutis praestantiam finxit, sed etiam feminas; inter quas, absit assentationis suspicio, tu cunctis semper praestitisti. Deinde doctrinam tum humanarum, tum diuinarum rerum cum ingenij naturaeq. bonitate, summaq. eloquentia coniunxisse. Postremo hic bonis cumulatum, in uarijs muneribus, quae longum esset recensere, et in Christianae Reip. administratione diu uersatum esse. quibus rebus fieri necesse est, ut illius operibus ne reperiri quidem, quantum ad eloquentiam pertinet, ornatiora, quantum uero ad scientiam, ac rerum usum, doctrina, prudentiora, atque his temporibus utiliora possimus. Tantus in his epistolis lepos, tanta urbanitas, tam purus sermo, ea, cum de Rep. loquitur, grauitas, ea dignitas,

tanta sententiarum, ac lectissimorum uerborum ubertas, uarietas, copia inuenitur, ut profecto id cogitare debeant homines, cum & multo meliora, quam alij omnes alijs monumentis complexum esse, & ea, quae mente agitarit, admirabili, ac diuina quadam dicendi ratione explicuisse, rerumq. pulchritudini uerborũ splendorem addidisse. Quae cum ita sint, et à me non solum ipsae Epistolae probentur, sed à compluribus doctis uiris, quibus iam notae fuere, magnopere expetantur, hortari te, atque obsecrare uolui pro mea, quae tibi numquam defuit, obseruantia, ne eas in tenebris iacere permittas, nec tibi illa fingas, quae dubitationem non habent. Nam praeter quam quod nullam tanti uiri memoriam retinere, ac posteris prodere uideberis, quod ingrati, & angusti animi esset, ac praeclare familiae tuae non parum officeres, maximam certe praesentibus hominibus eriperes utilitatem. Agimus cum Pont. Max. negocia, agimus cum amplissimorum ordinum, ac sacrarum societatum delectis uiris, agimus quotidie de rebus Christianis, de religiosis hominibus, ut nostri ritus postulant. si uero huius aetatis scriptores, quorum studium est, ut cuiusq. modi uerbis cogitata exprimant, imitari uolumus, inquinate prorsus loquemur, nullamq. in sordibus, & illuuie orationis reperiemus dignitatem. Propterea à te precibus peto, ut pro tua prudentia animaduertas, ne studiosis, atque eruditis uiris in odiũ aliquot acerbissimum uenias, in quod satis intelligo te uenturam, si eas lucubrationes occulas, et quamprimum prodire pa-

hominum manus non sinas. Quod iure à te expectare nemo debet. neque enim quemquam tibi pluris fieri nouimus, quam qui aliquo optimarum artium genere, uel poesi, uel ornatis epistolis, aut orationibus ceteros antecellat. Et cum à compluribus hac tempestate, & ijs quidem in dignitate positis huiusmodi docti uiri potius contemnantur, quam cari habeantur; ipsa eo quo uiges animo, id est amplo, & excelso, atque omnium uirtutum laude praestantissimo, uti ea es familia nata, quae semper & suscepit, & aluit, ac peperit doctos uiros, ita vos beneuolentia complecteris, ut illustris iam, & peruagata sit tuorum in omne genus hominum fama meritorum. Nec ab re dictum esse existimato complures domum tuam eximios, egregiosq. uiros procreasse, si quidem in Italicis quibusdam monumentis Cortesia gens clara maxime lectissima, atq. ornatissima habetur. Mutinam enim, quam Barbari solo aequarant Caroli Magni ope instauratam illustriores nonnullae in Cisalpina regione commorantes familiae ad urbis renascentis splendorem incoluerunt: Qua ratione gentiles tui domicilium in ea Ciuitate collocarunt. Nam Ludouicus Cortesius, qui in Gallia nobilissimus celebrabatur Pipini Italiae regis apud Ticinum Vicarius, ac summus consiliarius Alimediam ex excelso Gassanorum genere ortam uxorem duxit, liberosq. suscepit, & stirpis in eo solo Cortesiae initium posuit praeclarissimum ex quo eruditissimi, consultissimiq. uiri in hunc usq. diem profluxerunt. Sed id, atque alia huius generis hoc loco longius persequenda,

non sunt, ne forte uidear tum gratiam aucupari uelle, quo magis tuum animum in meam sententiam attraham. Nihil dico, cogitent homines quidquid uelint. hoc dico, habere te Rainaldum Corsum omnium rerum magnarum cognitione in primis instructum, tum singulari eloquentia, tum probitate, atque humanitate ornatum, ac perpolitum. Omnia haec cum eo communicare potes, ut uanitas (sic tu interdum soles appellare gloriolam) ueritati cedat. si illi, cuius acre iudicium est in cognoscendis, ac perpendendis auctoribus, probabuntur, neminem iudico fore, qui improbet. Ceterum credas hoc mihi uelim, quod puto te existimare, breui euenturum, ut exemplo tuo nonnulli, qui reliqua opera Gregorij Cortesii Cardinalis fortasse domi occultant, excitato laudis, atque gloriae tuae studio, ea in apertum referant Illud te moueat necesse est, si ea quam profiteris, beneuolentia, patruum tuum prosequeris, atque eius scripta maxime. quae uti nulla interposita mora, uel pauca uel multa inueniantur, quam cellerrime edas, stude, atque elabora. Vale.

I. HIERONYMVS. CATEna Nepoti. S. P. D

CVm & antea multis occupationibus distinerer, & post magnopere sim commotus Cardinalis Araecaeli obitu, mirum uideri non debet, si tuis litteris, mihi quidem iucundissimis, respondere minime

potui. praesertim cum non tam necessarium à me exigi hoc officium putarem, ut sine culpa praeteriri non posset. tamen gratum fuit, dulcissime nepos, intelligere te desiderare meas litteras, et crebriores quotidie fieri exoptare. Quare tua hac insigni in me amoris nota uehementer gaudeo, polliceorq. in posterum in tanto ocio tuo me parem in scribendo tibi fore. Placuisset mihi sane magnopere, si relicta patria domo, eiusque delicijs Romam profectus esses, ubi & ingenio, moribus, & doctrina praestantes uiri, et eloquentia singulares commorantur. Ex quibus ad informandam teneram istam aetatem uiua praecepta, atque instituta haurire potuisses. monumenta etiam praeclarorum uirorum, & septem colles, memoria insignes, non paruam uim ad uirtutem unum quemq. inflammandi, & excitandi habent. Audiuisse etiam potes ex ueteribus historijs quosdam nouos adisse populos, maria transisse, Pythagoram scilicet Memphiticos uates, Platonem Aegyptum peragrasse, ut doctrinae studium melius compararent.. Ad hanc igitur profectionem, si commodo, & pace parentis tuae fieri potest, te etiam, atque etiam hortor, sin minus optimae feminae consilium sequare, inutilè enim tibi numquam erit. Libellum centum fabularum emi, & his litteris transmitto. Legere te apologos, qui ad componendos mores, & ad uirtutem tendunt non improbo, & eos etiam poetas, qui bonorum uirorum actiones, aut sermones nobis retulerunt, complecti, ac imitari litteris, & quam maxime conari, ut tales simus. cum uero ad nepharios

homines peruenerint, tunc fugiendum est, obturatis auribus non minus quam Vlissem aiunt Syrenum cantus euitasse. Plura scriberem pro hoc argumento, nisi certo scirem à praeceptore tuo haec dictitari, & per te, ut haec edifcas, studiosum esse. Vale mi dulcissime nepos, & tuorum maiorum uestigia indies magis sequare, meo uero nomine matrem tuam saluta. Roma.

I. HIERONYMVS CATENA Rutilio Alterio S. P. D

NE hostibus quidem nostris contingat uelim tales accipere litteras, quales tu ad me nuperrime, nescio quidem quo consilio scriptas, misisti. Illud enim mihi incommodum, ac maerorem attulerunt; cum maxime consolatione egerem, ut fractum iam animum doloris recordatione profundere potuissent, nisi aliquantulum aegritudine leuatum, atque lenitum offendissent. Quam luctus acerbitatem attulerint litterae tuae, per te ipsum, nisi mei penitus oblitus es, cognoscere poteris, nam cum ego is essem, qui praeter ceteros Iuliae Bubalae praestantissimae feminae tot uirtutes, quot humana conditio capere potest, maximopere suspicerem, admirarer, in caelum ferrem, ut in ea colenda studiosiorem aeque ac, me, inuenires neminem, ausus es nunc angores, & luctus in meos oculos, mentemq. quibus dolorem renouasti, obijcere.

Putabas fortasse ita me ab omni humanitate alienum, ut tam praeclarae feminae obitum mihi molestissimum non accidisse cogitares? quae me uti filium amabat, quae optimos, ac carissimos, p̃sertim nobis Angelum liberos peperit, cuius uirum probum ac bonarum litterarum amantissimum, & eruditum maxime diligo, cum qua, & si non ut tu necessitudine, beneuolentia tamen, ac familiaritate eram coniunctissimus, cuius oratio me ad uirtutem, ad Dei cultum, ad pulchra, & honesta facinora traducebat, inflammabat. A me ipso antea quidem modicam quandam consolationem mihi adhibui, ac tam diu dolorem à me abesse sentiebam quam diu uersus facere in eius honorem potuissem multos sane feci sed quos probarem, paucos, ita animus impediebatur nimio fundendi ardore, quos ad te mittendos statui, cum ut te ad id inuitarem, tum etiã ut hunc casum non tam grauiter feras, cum scias hoc loco cum Gratijs, ac Minerũa communem extitisse. Vale, atque ad me iucundiores litteras scribe. iiii. Kal. *Ian. CIↃ. IↃ. LXIIII*

I. HIERONYMVS. CATENA

M. Antonio Mureto S. P. D

QVi magnum apud se positum beneficium in primis ducunt, ea polliceri solent, quae uires, atq; eorum omnem facultatem exuperent. quod si umquam mortali cuipiam cecidit, ut in sermonem hunc tam amplum, atq. magnificum delaberetur, is certe fuit Hersilus ille, qui tunc longe maximum beneficium

à te accepit, cum insperanti mihi, sed ualde optanti libellum Cardinalis Cortesii aduersus negantem Romae fuisse Petrum Apostolum, ad eum perferendum dedisti. Praestolemur, quoeso, quid rei facturus sit. Quod meorum laborum fructus amiserim obitu Cardinalis Corrigiensis cui tot annos operam dedi simul cum oleo perditam, nil mirum uideri debet, cum durissima usq. adeo conflicter fortuna, ut indignior nulla alia reperiatur. Tu uero quamuis uitae occasum Hippolyti Cardinalis Ferrariensis uideris, & dignitates illae, quas tua tibi uirtus pollicebatur, intermortuae uideantur, tamen tui ornandi uoluntas huic ordini deesse non potest. Cardinalis adest Estensis, qui ad beneficia remuneranda habetur propensissimus. Tuis te disertis ipse litteris delectas, in rerum contemplatione studia ponis, & cum sis ad omne genus eloquentiae natus, te supra hominem Roma admiratur. te ipsum totius antiquitatis aestimatorem acutissimum, naturae interpretem, uirtutis magistrum, poetam insignem, iurisconsultum peritissimum in Caelum effert. Hoc igitur amplissimum praemium te numquam deseret, quocumq. se ferat fortuna tua, te sequetur. hic cursus gloriae sempiternus. honorum gradus cuiuis hominum generi contingere possunt, gloria excellere paucis. Perge itaq. tui ingenij monumenta artiumq. scripta edere, ut nos ex his fructum maximum percipiamus, & omnis posteritas tibi debeat. Haec ad te iampridem scripsi, sed nunc primum mihi data est mittendi opportunitas. Vale. Ex Castro Plebis.

I. HIER. CATENA CLEMENTI Moniliano Cardinali Amplissimo. S.P.D

IN more positum est, praeclariss. ac optime Antistes, his temporibus, cum uix mortalium corpora, uel robustissima maximis caloribus respirare possint, taxillorum, & alearum Ludis operam dari, umbracula quaeri. Ipse autem huiusmodi ludum, & iocum in litteris amenioribus, mansuetioribusq. Musis cum serijs negocijs uacuus sum, agitare decreui, non in turpibus inhonestisq. uoluptatibus, illud enim in memoria semper habui νεὸσ πεφυκὼσ πολλὰ χρηςὸ μάνθανε. *His igitur festis diebus, ut non nisi literario ocio delectarer, lectionem ad poemata adhibui & nonnullos uersus uarijs quidem modis fusi de hortulo secretiori, ac sacello, bibliothecaq. in quam saepissime te abdas, & hoc quoq. more maiorum sapienter fecisti, cum saepe apud illos bibliotheca in hortis desideraretur: excitat enim mentem, animumq. hortorum cultus alacriorem reddit. Praeterea larem illum, de quo meum extat commentum, à te saepius expetitum, tibi mitto, ut in hortulo, si placuerit, affigatur. uolui orationem uerbis quibusdam antiquis obtegere, ne forte à recentioribus fabricatum aulae sectatores suspicarentur. Vale.*

I. HIER. CATENA
Fabricio Caputo
S. P. D

De Sacerdotio illo, de quo alia Epistola ad te scripsi, nihil confecimus. Alexandrum, ceterosq. consanguineos, qui Lario sacris interdicto auxiliati fuere, omni animorum contracta labe purgari à Pont. Max. curauimus, ut Paulli Parauicini litteris intelligere latius poteris. Illud certe Pont. aegre tulit eos in aduersariorum agrum superioribus interregni diebus hostiliter irruisse, grassatosq. quam diu libuisset: delenitus tamen quod optabamus concessit; multis post diebus. quid? in me omnia conglomeras mala? Huic mandes si quid recte curatum uelis. Sed ea res te falsum habuit. uix quidem uerbis dici potest, quanta pertulimus mala; nobis animam elisisse, ac torminosi, ut ita loquar, uidebamur, & ni usu animus concalluisset, profecto uiuere prorsus desiissemus. Quot scribis de Fabio uiro probo, & populari, est quod gaudeam. uerum iam flaccet illa uetus fortitudo, ipsiq. lacrimae guttatim cadunt, rideamus licet; sum enim à te inuitatus. De Hieronymo nihil extrico, sunt quidem adeo ingentes calores, ut nemo quantumuis

animatus se respirare posse confidat. Ex nostris nonnulli inter quos est Sanctus, & Carsidonius, latebras quasdam habitant, uesperi plures ne cum subligaculo quidem in aulam prodeunt, nec audent solitis uti delicijs. Ipse uero cum utar crasso hoc Caelo, atq. concreto, templum uicinum adeo, ibiq. historiarum auditione ducor, ac delector. Sed eliminant aliquando nos extra aedem Franciscani, & tunc uideor uires, & corpus amittere, & quamuis calore sim confectus, aquam tamen gustare, superiorem morbum reformidans, non audeo. parco itaq. quantum possum ualetudini, ac solum cogito quomodo noctem de die facere possim. Dum una omnes coenare cepimus, dominus admonet ne amplius genium defraudemus suum. quid rides hic fortasse? uera sane praedico. Sed manum iam de tabula, migramus, nescis quo? ad Diui Marci. Vale. Roma. Kal. Iulijs.

DVCI. BAVARIAE NOMINE Cardinalis Alexandrini.

QVod Princeps Ernestus me humaniter & salutandi, & uisendi causa conuenerit, litterasq. mihi à te humanissimas reddiderit, ingentes tibi gratias agere, et habere debeo. Ego enim permagno semper aestimaui tali me Duci, atq. ita de Rep. Christiana benemerenti carum esse, eiusq. amplissimae actoritati commendari. Est praeterea quod gratuler mirifice de aduentu tam praeclari filij tui, qui suauitate ser-

monis, morum facilitate, benignitateq. ita placet, ut ex ipso uultu Religionis studium, ac pietas eluceat. Accedit bonarum litterarum cognitio, modestia, grauitas, quibus apud Pont. Max. omnesq. mei ordinis uiros laudatur, amoreq. à cunctis complectitur. Iam firmis igitur iactis uirtutum, ac meritorum fundamentis, uerendum non est, ne in dies magis omnibus numeris ad Ecclesiastica munera sustinenda absolui, ad summaq. ac in omni genere perfecta peruenire possit, atq. omni honore dignus iudicari, coq. patre, qui obfirmata, perpetuaq. fide, ac studio S. Cath. Eccel. religiosissime coluit, prauitatesq. omnes damnauit. His inquam uirtutibus praeditum amplissimum filiū maxime hac tempestate uerae religioni prodesse confidimus, cum ea ab iniquis desertoribus exagitetur turpiter, atq. hereticorum monstris diuexetur. Sed ut de me iam loquar, ego is sum, ut non tam mea sponte propensus tibi, Principiq. obsequi studeam, quam constanter in Pij V. sententia perstans, cui necessitudine eram adiunctus, nullo umquam tempore pietatem uestram obseruare, ac uenerari desistam. Sanctissimus enim ille Pontifex studia uestra, integritatem, cultum, prae ceteris quotidie praedicabat. Faxit Iesus Christus, ut tua dignitas augeatur, laudibus, atq. honoribus in dies magis amplificetur. Roma.

I. HIER. CATENA. ACADEMIcus Affidatus Lucae Contili S. P. D

QVamquam nullum tempus mihi umquam uacat, aut à negocijs, quae pro Cardinali Alexandrino suscepi, aut à scribendo, tamen maxime cupio aliquantulum ereptum summis occupationibus, ut Epistolae tuae his litteris respondere possim. Nihil enim mihi iucundius accidere fateor, quam tecum in huiusmodi uersari disputationibus, cum mirifice tuae scientiae suauitate delecter. Quae de Ciceronianis imitatoribus mihi descripsisti, neq. spernenda esse censeo, neq. explodenda, praesertim cum in soluta oratione numeros non reperiamus admodum determinatos, sed consulendae sunt aures, quid magis consentaneum postulent. dum uero abest cura compositionis, & ars quaedam ueluti structurae, dissipantur quidem illi, ac rudem inconcinnamq. reddunt Orationem. nemo sobrius id negabit. Ex Cic. autem libris materiam latinae eloquentiae petendam, formamq. mundissimae, ac nitidissimae locutionis, sermonisq. integritatem depromendam semper iudicaui. Si in ceteris rebus quis elaborauerit, furem dicemus potius, quam imitatorem. Verum huius tempestatis scriptoribus illud incommodum accedit, ut in multa incidant & in Philosophia, Theologiaq. noua & in bellicis tormentis, instrumentisq. inaudita, tum in publicis, tum priuatis

negocijs

negocijs peregrina. neq. his qui conficiunt Principum litteras, diplomata, atq. id genus scriptorum, monumentorumq. satis explicatam rationem uerborum consistere uidemus. qua labefactata, et amissa scripta omnia sordescere, ac confundi necesse est. Sed si quae barbara sint, quae latina, quae dura, odiosa, intolerabilia, putida diiudicarent, erroribus minime ducerentur, quos cum lacte nutricis suxere. Numquam licet nostratia, quibus uulgo utimur, mea quidem sententia, ita latine reddere, ut an huius, uel illius linguae sint, cognoscere non possimus, uniuscuiusq. sermonis uim, ac proprietatem seruandam auctores tradidere. Sed si rebus nouis nomina iponēda sunt, à fonte graeco cadāt parce detorta, idq. fieri tenuiter, et caute Horatius monet. numq; audacē probauerunt ueteres Oratorē in faciēdis uerbis, neq. in trāsferēdis inuerecundū, pdigū in priscis, in reliqsq. ornamētis non ita abductum, atq. contentum Si forte necesse est.

Indicijs monstrare recentibus abdita rerum
Continget, dabitur licentia sumpta pudenter.

Triplex nos possumus considerare genus uerborum proprium, translatum, fictum, aut factum addo peregrinum. In satyra, tragoedia potius translatis, quam proprijs. Dixeris egregie notum si callida uerbum, reddiderit iunctura nouum. In Comoedia potius proprijs, quam translatis, sed interdum translatis. In tradendis doctrinis proprijs, translatis, fictis, etiam peregrinis. cum id, quod recte sentimus, polite eloqui non possumus. In omnibus me-

dum praecipit Horatius, libidinemq. nouandi ubiq. coercet, his uerbis, In translatis tenuis, cautusq. cum tamen confiteatur egregie dici. in fictis si forte, et pudenter. in proprijs, non uult, indignatur. Peregrina pauca admodum in latinum sermonem irrepsere, ab omnibus prope gentibus aduecta uocabula, à Tuscis, Sabinis, Praenestinis, Gallis, Persis, & alijs. semper latine loqui conari debemus, sed quando aliud necessitas cogit à Graecis potius, quam ab alijs aduenis uerba mutuanda sunt. Demum Caesar, et Cicero semper in memoria habendi, alter dixit irrideri qui nimis graeca inculcat, alter insolens, inauditumq. uerbum tamquam scopulum fugiendum. Ceterum haec longius fortasse, quam par fuit, in medium adduxi, quae nec occupationi meae, nec conditioni aequa uidebuntur, nec in his positae Romanorum fortunae. Nolui tamen meam non afferre opinionem, quam depositurus sum, si aliter uolumen illud litterarum, quod tu propediem edere statuisti, mihi persuadebit, ratioq. quod mente comprehendi, conuellet. Iconica illa, quae nostri Academici protulere ad uirtutem cuncta spectantia, libenter inspicerem, si tibi placuerit huc mittere. Quod de mea scribis Icone, agnoui humanitatem tuam, non enim est mihi tanti, ut me omni laude cumulares. Liuiam Beccariam, quam ob suauissimos mores, animi altitudinem, lenitatem, ob plurimarũ, formosissimarumq. uirtutum praestantiam unice amo, uenerorq. saluere meo nomine iubeas. si quid mihi umquam erit eloquentiae tributum, totum in ea laudanda

consumam. Amico illi aliquot in causis litiganti, quas mihi commendasti, et profui, & prodesse uelim. Nam tua omnis commendatio à me blanda impulsio existimanda est. Vale. Roma.

I. HIERONYMVS CATENA
Leonorae Sanuitali Giberti
Salae Comitis filiae
S. P. D

POst meum ab Vrbe discessum, nullas ad te, ut promiseram, litteras dedi. quod mea quidem haud est negligentia factum, cum ī te colenda diligentiorem, quam ego sum, inuenias neminem. Sed huc atq. illuc uenando, equitando sum peruagatus, uoluptati nulli certe obnoxius, at quem debueram, prosecutus. Nec religio mihi est, aliquo tempore nihil agere, & plane cessare, ac facultate uacui, et liberi temporis perfrui. Sed nostra haec potius dicenda est contentio animi, quam relaxatio, quae mihi tristitiam affert. Scio sane plerosq: ocio interdum fluxisse, ut de Socrate, et de Catone accepimus, alter fidibus tractandis deditus, alter pilae lusui erat. Et illius certe Similis Adriani Imp. amici soleo admirari consilium, qui uacatione impetrata septennium ruri maxima quiete degit, sepulturam ita habuit inscriptam, Similis iacet, cui aetas multorum annorum fuit, septennium tamen uixit tantum. Verum contra de nobis fortasse dicendum id est me nullos uixisse dies, quo alterius iurae aetatē

ago, ita ſum continuis occupationibus diſtrictus. Propterea mihi ignoſcas uelim, ſi quae tibi etiam pollicitus ſum, praeſtare non poſſum. hic enim librorum copia nulla, ex quibus argumenta illa morum, ac indicia rerum quarumcumq. colligam. Nec fruſtra iſta expetēdā, ſunt, nā perſaepe hominū ingenia his ſtatim cognoſcimus, quae aliter, niſi conſuetudine, ac longo uſu, minime perciperemus. Variae ſunt animi affectiones, & quas manentes uocamus, & quas mouentes, Oris habitus, oculorum motus, inceſſus, totius corporis ſpecies multa nobis facile indicare poſſunt. Ac referre maxime ueteres putauere, qua Caeli affectione quis primum ſpiritum duxerit. Noſtri ſapienter illam ſiderum obſeruationem, qua praedici quid cuiq. euenturum in uita, quoue quiſq. fato interiturus ſit, damnauere. Quare nos huiuſmodi diuinationes, notationesq. ex natali die totius uitae curſus merito ſublatas fatemur. Praeſtantium illarum mulierum, quae litteris claruerunt, nomina, à me olim adnotata alio tempore tibi ſcribam. nunc autem id tibi perſuadebis, nullam extitiſſe neq. ſuperiori aetate, neq. noſtra, quae ingenium tuum, litteras, eloquentiam adaequet, aut maioribus naturae adiumentis ac praeſidijs prouenerit. Ipſe ſaepe ſum admiratus, te uix quatuordecim annos natam & Latinam linguam probe, & Etruſcam callentem, Ciceronis libros diligenti lectione euoluiſſe, quam Ariſt. de moribus ſcripſit philoſophiam didiciſſe, ueteris, ac noui Teſtamenti hiſtoriam memoria tenere, Orationis, Epiſtolas

candido stylo fecisse, carmina fudisse. Et nunc Euclidis operi studere, et post uelle astrorum cursus metiri, ac sphaerae cognitioni incumbere. Quae nam ergo mulier, o praestantissima Virgo, tecum conferenda est? Immo uero quis uir umquam floruit, tam paucis annis, tot claris artibus ornatus? Quid de singulari humanitate dicam? quid de suauissimis moribus, quos omnes uideo cupiditate honoris, pudicitiae, & gloriae inflammatos, tam erudita simplicitate conditos, tam dulci seueritate temperatos? ut si Modestia ipsa filiam desiderasset effigiem moris, sermonis, grauitatis, integritatis, animiq. sui, non aliam, quam te, uoluisset. Tu uirginalis uerecundiae exemplum, habitus, uestitus liberalis. Praeterea haec animi pulchritudo cum corporis eximia pulchritudine conuenit, quae non tãtum uenustas muliebris, quam uirilis dignitas dicenda est. ita omnes partes inter se cum summo lepore summa grauitate admista consentiunt, ut nulla quidem species excogitari possit ornatior, cum ex utroq. formae splendore constare uideatur. Verum his rebus finem faciam, ne laudes tuas uerborum meorum paupertate minuam. Illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut poemata illa Iulij Cæsaris Gõsagae nobilissimi uiri uideam. est enim is in huiusmodi genere elegans, & ingeniosus. Cura, ut ualeas. Ex Castro Plebis. Kal. Octob. CIƆ. IƆ. LXXIIII.

I. HIER. CATENA M. ANTO nio Bobbae Cardinali Amplissimo S. P. D

QVid mirandum est, doctissime, ac optime Bobba Cardinalis, si iã tuis operibus statim laetari uisus sum? cum te in poesi tam difficili elegantem, ac ornatum praestiteris, te ex maxime raro hominum genere iudicandum duximus. Vere caelesti afflatu, ac diuina animi concitatione tot sacra carmina cecinisti nam qui aliter fieri potuit, si tu continuis deuinctus curis pro Christiana Republica susceptis, uersibus condendis operam nauas? nisi tuam musam quasi fontem fluere, & quocumq. influit prorsus se effundere dicamus? ita mentis uiribus excitatur. O excellentem rationem ingenij, quae tibi immortale decus peperit. Iam nulla mora, nec impedimentum diuino operi inferatur: abiecta prorsus omni cunctatione ipsum in lucem proferas. Quid? obtrectatores times? tam sanctis, sacrisq. scriptis, tamq. latine elaboratis, quae nec minus à priscis illis uatibus uersibus decantata sunt, maledici non obesse possunt, quis enim tam uirtutis hostis, aut laudis inuidus extiterit, qui tuos labores improbarit? Qua in re poema hoc raptim ad te scripsi, quod an tibi placuerit, ut mihi significes te etiam, atq. etiam rogo. Vale.

I. HIER. CATENA I. HIEronymo Albano Cardinali Amplissimo S. P. D

QVantum sit meum erga te studij munus, et si iam pridem lucubratione aliqua, ut in alijs consueui, declarare debuissem, cum pauci, aut nulli reperiantur, quos aeque ac te obseruare, colereq. ut uere sapientem, par sit tamen hactenus distuli, non tantum solicitudine uexatus, quam rei magnitudine deterritus. Saepe Musarum delubra adij, saepe est inflammatus animus, nec uersu uerba includi potuere. Cum à tua praestanti pietate, religioneq. incipere uellem, & quanta extiterit, considerarem, quantam Pius V. omnium mortalium augustissimus expertus fuerat, exitum nullum reperiebam. Doctrinam cum attingebam, cum in legibus interpractandis aequitatem, in explicandis scientiam, sicut monumenta in lucem prolata testantur, cognoscerem, initio ipso frigescebam. Quid de pluribus uirtutis generibus, quae simul te complexa sunt, dicerem? Videbam ingenium acutum, contemplationi aptum, ueritatis auiditate flagrans, ad agendum strenuum, boni publici prouidum, & quod difficillimum inuentu est, te esse hominem ingeniosum simul, & prae ceteris mitem lenem, facilem, atq. uirilem. Et quia tua uirtus nullo uitiorum confinio læditur, me in maximam traducebat admirationem, ita

per omnes numeros omnibus se patefecit. Suscipi igitur à me prouincia tibi poema faciendi nulla poterat, qua non potius crimen reportarem, quam ullam laudẽ acquirerem. Essent qui mihi consulerent, si te uel Socrati, uel Catonibus, uel Scipionibus, Adriano, Vespasianoq. compararem, abunde laudatum censerent. Qua in re toto Caelo eos errare semper crederem. Hi enim clarissimi uiri multum distare à tuis uirtutibus uidentur, ingenij sublimitate, litterarum scientia, eloquendi elegantia, probitate, beneficentia. Illi huius mortalis uitae tantum gloriam captabant. Ipse uero omnia à Deo accepta fateris, Deoq. referre, nulla superbia elatus, semp studuisti. Cogitaui quãdoq. te cũ Crasso Miciano illo conferendum, de quo auctores tradidere quinq. maxima, & praecipua rerum humanarum, scilicet fuisse eloquentissimum, ditissimum, nobilissimum, iurisconsultissimum, Pontificem Maximum. Sed duo me retinebant. Opes cum nimium creuerunt, potius oneri, quam honestae uoluptati sunt, at mediocritate temperatae & usui sunt, & splendori opportunae. Pontificialis autem illa auctoritas non tanti erat, quanti nostra facienda est. Ordoq. tuus, Cardinalis optime, tuaq. dignitas longe sane praestat. Accedit ad hoc, absit adulationis locus, te ab omnibus illo honore maximo, quo maior nullus est in terris, ob singularem sapientiam tuam, dignum iudicari. Plura non addam, his enim litteris nil aliud ostendere uolui, quam tuarum uirtutum claritatem, amplitudinemq. me uersibus assequi non potuisse. Vale.

I. HIER. CATENA. VINCEN
tio Iustiniano Cardinali
Amplissimo
S. P. D

SVperioribus diebus Cardinalis Alexandrinus hinc discedens, ut susceptum quoddam negocium transigeret, mihi mandauit, ut tibi eius nomine salutem nunciarem, quàmq. huius temperatione Caeli, hoc loco amoeno, apricoq. partim plano, partim uero montuoso delectaretur, nihilq. amplius desiderare se dixit, si tua suauissima consuetudine frui posset. Praeterea iussit, ut quae olim in meum rerum urbanarum commentarium de te retuli, historia, longisq. monumentis explicarem. Quod & si, Cardinalis amplissime, multis de causis mihi difficilimum semper uisum sit, illa enim tantum rerum capita sunt, & paucarum, nam quae extra prouinciam gessisti prorsus ignorabam, & multa, et praecipua fuisse credendum est, concionesq. illas, & cohortationes, quae interponi solent, multumq. decoris historiae afferunt, deperditas audiebam tamen nihil me magis retrahebat, quam uerborum meorum ieiunitas, siccitasq. in re tam ubere, & illustri, in qua tracta quaedam, et fluens, concinnaq. oratio expetetur. Illa uero quae de te generatim dici possunt, mihi nota facile sunt, uidelicet te claris parentibus ortum, gentilesq. tuos nobiliss. principesq. fuisse insulae, quae Chios appellatur, te omniũ magnarũ rerũ,

atq. artium scientiam consecutum, ad summam in ordine Prædicatorum Fratruum dignitatem peruenisse, in qua ita te gessisse, ut post hominum memoriam nemini contigerit melius, nam facilitas illa alloquendi, audiendi lenitas mirum in modum tibi est à natura tributa: affabilitati grauitas, salubri austeritati iucunditas adiuncta est. his ad res gerendas semper artibus usus es, & non nisi uiros laudatos, uirtuteq. praeditos honoribus affecisti, magistratibusq. ornauisti. Tu, nullo negocio, omne de qua uis re negocium percipis, nemo diligentius, prudentiusq. explicat, conficit ex sententia. Proinde te Pius iiii. Tridentino Concilio adhibuit, ut illa animorum labes, quae longe, lateq. à prauis hominibus aspergebatur, elueretur. Quo loco uirtutis tuae, ingenij, litteraturae, studiorumq. tuorum thesauros aperuisti, ut uno ore te omnes egregium, optimarum artium, & sapientiae gloria praestantem, maioremq. Concilij partem, praedicauerint. Scimus quam plurimis experimentis auctam prudentiam, ac Pium V. omnium Pontificum prouidentissimum te de grauibus causis ad Hispaniae Regem legasse, in isto amplissimo gradu collocasse. Quotidie uidemus, audimus in quam curam pro Republica incumbas, quomodo auctoritatem, grauitatem, honorem, famam, gloriam, decorem, existimationemq. sustentes, atq. collustres. Sed sigillatim, ut opus esset, ratioq. postularet describendi de omnibus rebus facultatem ablatam mihi uideo. Et profecto satius est tacere, quam pauca confuse dicere. Non

equidem labori umquam parcerem, ut tibi aliquo argumento oſtenderem, quam maxime tuae uirtuti ſim deuinctus, nec Cardinali Alexandrino deeſſem, cui omnia debeo, ſi fieri, quod praeceperat, potuiſſet. Propterea ut me illi excuſarem, haec in medium protuli. nam quod ad te pertinet, compertum eſt mihi, te nihil inprimis, praeter clara facinora, penſi habere: quae quamplurimos doctos uiros procul dubio ad ſcribendum incitabunt. Vale.

I. HIER. CATENA
Io. Baptiſtae Raſte
lio S.P.D

SCribis ad me, ut uolumen illud Epiſtolarum tibi mittam, quod Romae ſuperioribus diebus Paullo Manutio oſtenderam, ſunt ad Principes, Reges, Imperatoresq. ſcriptae litterae, memoriae enim poſteritatiq. eas prodere propagareq. uelles. Qua in re & ſi miras tibi gratias agam, cum ſtudijs meis auctoritatem tribuere uidearis, tamen cum Epiſtolas illas trium Cardinalium iuſſu fecerim, contineantq. ea, quae detegere contra fas exiſtimarem, uulgo legi non permitterem. Nam multae ad Ferdinandum Imperatorem, atq. ad Germanos Antiſtites, dum Cardinalis Araecaeli Protectoris, ut aiunt, munere fungebatur, nonnullae ad Maximilianum ii. miſſæ ſunt, quarum exemplum nemini traderem. Corrigienſis, Alexandrinusq. Cardd. principibus ſcripſerunt uiris de calamitate,

quam tot annis Christiana R.P. accepit, de aerumnis, incommodis fortunis, priuatisq. rebus quamplurimis. Proinde mihi ignoscas uelim, si hac in re tibi minus satisfacio. Non nulla fortasse, quae annalium monumentis mandaui, ad te perferenda curabo, quae si leges; nostrorum temporum, rerumq. gestarum memoriam ita colligatam cognosces, ut minime laborem improbes. Vale.

I. HIER. CATENA. POMPO
nio Taurello Comiti
Montisclaruguli
S. P. D

CVI potius, quam tibi, Pomponi nobilissime, libros meos legendos, emendandosq. tradam? Nam si eloquentiam spectemus, tanta in te uiget dicendi grauitas, copia, singularisq. facultas, tanta ingenij ubertas, ut facile quidquid uelis, probes, ut incredibili suauitate omnes delectes, ut mira ratione flectas, atq. contorqueas. Multa de Carneade, deq. eius orationis ui dicuntur, sed quae minora uideantur illis, qui te argumentantem audiere, te enim iam uehementiorem, plenioremq. iudicarunt. Si philosophiae studia intueamur, te acie mentis omnium rerum uim, naturasq. cognoscere, ac bene uiuendi rationem persequi, in rebusq. uel inueniendis, uel iudicandis acrem dicamus, necesse est, te maxime in Aristotelis doctrina uersatum, te his communibus litteris, & politiori humanitate

apprime informatum, te monumenta temporum, locorum, hominum, rerum gestarum, seculorumq. memoriam probe tenere praedicamus. Idcirco quod te excuses, nihil est, de interponendo iudicio tuo in his libellis, quos ad te perferendos curaui. Condones illud obseruantiae meae, qua te prosequor, condones uirtuti tuae, benignitati, urbanaeq. tuae comitati. Ego ipse sine rubore semper didici, frequens etiam inquisitio ad ueritatem aperiendam confert. Nulli adfuere umquam tot bona, ut non etiam plura defuerint. Vellem, dum uitam traduco, eniti, ut mors quam paucissima quae abolere posset, inueniret. Tu potes, Pomponi, ingenij acumine occultissima perspicere, potes errores lucubrationibus meis eripere. potes nos, quo studiorum cursum dirigere debeamus, docere. Noli igitur abnuere, caue modestiae id tribuas, quod labori fortasse esset tribuendum, quem ut in opus nostrum ad breue tempus insumas te oramus, atq. obtestamur. Vale.

I. HIER. CATENA. IACO bo Quintilio S. P. D

Legimus carmina tua, quorum caput illud erat, me quondam tibi succensuisse, mitto laudes, quas mihi tribuis, cũ nunc Flaccum, nunc Homerum, nunc Maronem appelles, noui ego poetarum ingenium. Sed mirum est, te ea in poemate scribere, quae mihi antea uitio uertebas; & ex his non temere exarseram: quod

te uel studiose fecisse credam, uel ab errore discessisse. Quid deos penates, quid Aeolum, quid deam Themim commemoras, si huiusmodi locutiones prophanas ab opere meo delere conatus es? En quomodo Bellerephontis, ut aiunt, litteras affers. Fateri igitur tibi necesse est, poetam nullum commendari posse, qui insignes ornatus, clarissima uerborum, sententiarumq. lumina, pigmenta, elaboratam concinnitatem, translata uerba, quasi stellas, & margaritas neglexerit, qui uersus huiusmodi Deorum, Dearumq. nominibus additis, fictis ad physicam rationem, quae inter schemata potiora existimarim, non illuminauerit. Adducere possum Christianos permultos, & illos quidem antiquissimos, sanctissimosq. ab hoc dicendi genere non abhorruisse, sed in re nimis clara exemplis non agam. Iure igitur tibi irascebar, & omnino quidem, ut libere loquar, cum Epigrammatibus meis ea reponebas, quae sensu, et syllaba non probabantur, quaeq. ab omni eruditione alienissima erant, ut si sic libellum edidissem, imperitus, ineptusq. ab omnibus haberi merito potuissem, nec me uel Aesopum triuisse. Vbi summo studio Graecos imitabar praecipue, puellasq. collaudabam ingenuas, ferre non poteras. Tu nimis seuerus dicendus, non ego. Nihil ergo ad Parmenidis suem quae decantasti. At ut hic reconciliationis signa demonstrem, uisum est mihi te admonendum esse, in alijs sequentibus uersibus te non secutum speciem, primorum, ut ratio postulabat. Nec inter graecos, nec inter latinos huius generis exemplum ullum inue-

nies, nec te moueat, quod Horatius de Pindaro ſcripſit.

Laurea donandus Appollinari
Seu per audaces noua dityrambos
Verba deuoluit, numeriſq. fertur
Lege ſolutis.

Nam uerum eſt lyricũ poetam nullis carminis legibus aſtringi, ita tamen, ut quem ſibi modum in principio carminis praeſcripſit, intelligat ad finem uſq. aeque ſeruandum. libertas igitur ad primos uerſus refertur, non ad alios. Et ita ſeruatum huc uſq. in cunctis auctoribus reperitur. Haec in bonam partem accipias quoeſo, & ab amore, quo te proſequor, quiq. nulla exhauritur iniuria proficiſsi pro certo habeas. Vale.

I. HIER. CATENA GV
lielmo Sirleto Cardina
li Ampliſſimo
S. P. D

QVod olim, Cardinalis eruditisſime, in prouerbij conſuetudinem uenit, Nón omnia ſimul Dij dederunt hominibus, quis noſtro tempore affirmare audeat? Cum enim doctrinam tuam, cum ingenium, memoriam, integritatem, pietatem, religionem, beneficiendi ſtudium ſpectamus, non ne te ad omnia finxiſſe naturam maximum, & excelſisſimum hominem fateri cogimur? non ne tibi uni omnia uirtutis genera

Deum conceſſiſſe adiurabimus? Quis ſacri iſtius Ordinis Senatorem umquam uidit non à perueſtiganda rerum natura auocatum, et rebus gerendis ne momento quidem temporis abductum, nil arduum, nil difficile Reip. propoſitum, quod tua non ſit ſententia explicatum. nullus in rebus ſacris, cerimonijsue inijcitur ſcrupulus, & dubitatio, quae à te non tollatur. Hinc Germani, illinc Galli, Hiſpani, Graeci, Itali, ceteriq. omnes, qui ſtudio flagrant litterarum, ad te confluunt, te conſulunt, uel de his, quae ad humanitatis ſtudia pertinent, uel Linguarum cognitionem, uel philoſophiae, theologiae, aliarumq. artium liberalium, hiſtoriarum domeſticarum, & externarum, Pontificum, Regum omnium, & Imperatorum, quae ſint eorum ſcita, decreta, ſanctiones, monumenta, facta, dictaq. omnia, quae ita memoria tenes, ut omnibus ſeculis uixiſſe, omnibus magni momenti rebus interfuiſſe uidearis. Nam nulli umquam mortali contigit, ut illa Muſarum mater Memoria omnium rerum maiorem theſaurum tribuerit, quam tibi. Tu enim ipſe es, qui de qualibet re quaeſita, uti alter Gorgias, diſputare poſſis. Quid Carneades, qui uolumina quaeq. recitabat quandocumq. Quid Porcius Orator, quid Narciſſus theologus, qui memoriae uniuerſa philoſophiae, & theologiae ſcripta complexus eſt, ab auctoribus in medium afferuntur? Te uno aetas noſtra triũphet, cum Ariſtophanem illum quotidie ſuperare uidearis, qui memoria fretus infinita armarijs uolumina eduxit, et ſubrepta quaedã poemata populo oſtẽdit.

Ita tu

Ita tu Vaticanae bibliothecae, qua nulla maior extat in toto terrarum Orbe, codices memoria comprehendisti, ut prompte illos, & sine cunctatione pro re inuenias, ac recites maxima hominum admiratione. Ex quo fit, ut nullum uerbum ex ore tuo exeat quod non utile, & iucundum ad aures aliorum accedat. Illud usu mihi uenit, cum superioribus diebus tecum familiariter, quae tua est humanitas, locutus sum, multa perdiscens, quae inuentu rara sunt. Cumq. ea omnia Cardinali Alexandrino retulissem, & is magnopere collaudasset, mihi praecepit, ut ad te scriberem, eiusq. nomine à te quaererem, num Isidoro, & Solino adhibenda fides esset, & Arabibus quibusdam scriptoribus in eo, quod de aue Hercynia in Hercynia silua nascenti, scribunt, seu ut alij de Emeria, quae pennis emicat noctu, ut uiam commostrare possit. Qualis sit haec auis, & an à Germano quodam scriptore, qui legi prohibetur, depingatur. Cardinalis enim pro icone in Academia ea uti uellet, uerbis appositis, Nocte uel atra. Hac in re a tua sententia non discrepabit, sed si tibi penitus commentum displicebit, ut mihi significes, te etiam atq. etiam rogat. Vale. Ex Castro Plebis ix. Kal. Decemb. CIↃ. IↃ. LXXV.

I. HIER. CATENA
Angelo Oddo
S. P. D

MAgnopere uellem istic adesse, ut non tam desiderij tui expectationem in primis, aliorumq. amicorum explerem, quam ut nonnulla ad utilitatem meam referrem. Nam quae in philosophia mecum commentatus sum, atq. in astrorum scientia tecum communicare maxime optarem. Tuus enim congressus, colloquiumq. magis unius horae curriculo proficit, quam librorum diuturna lectio. Teq. nemo comicr, ac ad omnem humanitatis rationem moderatior umquam reperitur, ut tuae suauitatis, tuorumq. studiorum plurimum amicis impertias; & quod difficiles explicatus habet, ac à uulgari intelligentia remotius, planum tibi, atq. ante oculos positum est. Videmus nos ex antiquis philosophis, astrologisq. uix duorum auctorum sensus in eo, quod ad mundi naturam pertinet, congruere. Anaximenes terreum Cæli ipsum ambitum, Empedocles solidum esse Caelum ex aere constans in Chrystalli duriciem ab igne compacto, Aristoteles ex quincto corpore, Anaxagoras inclinatum mundum in australem partem, ut partim habitabilis esset, partim minime. Diogenes pumicosa, ut ita dicam, mundiq. spiracula sidera putat. Thales aetherem suae impetu uertiginis saxa e terra raptantem existimat, saxumq. e sole casurum praedixit.

Phaenunta, pyroenta alij alio ordine ponunt. Crates solem omnium supremum constituit, quidam mediũ, alius ex igniculis coagmentatum humidis uaporibus collectis, alius nubem urentem, quidam saxum igneum, aut globum ferri candentem, quidam uitri modo perlucentem accipere ab igni caelesti splendorem, acceptumq. ad nos mittere. Est qui soles duos primarium, & repercussum asseueret, praeterea globum ex quincto corpore coactũ. Ex his nõnulli praedictiones, rerumq. futurarum praesentiones detestantur, prohibent, nonnulli accersunt. Sunt qui superstitiosos nimis Babilonios, ceterosq. alios dicant, qui omnem curam in siderum contemplatione collocarunt. Nihil difficilius futurorum scientia, nisi diuino afflatu. At ἀστρονομία sapientissimum quiddam est, auctore Platone. Ad haec illa diuinatio uatum, poetarum, bacchantium, amantium, illa Catena uoluens sese, immobilis dispositio rerum mobilium, aeterna constitutio, caussarumq. nexus multos mortales, scriptotesq. solicitos habuit. Verum tu ipse, qui rerum humanarum, diuinarumq. scientia polles, certasq. caussas, ac necessarias quidem praenosti, unoq. minor es Ioue, ut ille cecinit, nobis ad haec comparanda permultum opitulari & potes, & debes, id sapientis uiri conditio, id leges amicitiae postulant. Audisti qua in re tua opera uti uellem, qui sint in disputationibus nostris sermones habendi, cum te conuenero. Quod ualde me auere certo scias. Vale.

V. 2

I. HIER. CATENA
Neapolioni Comitulo
S. P. D

SI quae tibi superioribus diebus misi, luculēte scripta uiderentur, in ea quidem laude, qua me cumulare studuisti, ponerem. Omni enim numero elegās poema fecisse, magnum opus existimarem. Verum & molestijs implicatus, & pluribus negocijs praepositus in contexendis carminibus inconcinnus, ineptusq. dicar, necesse est. Nec ea est uis ingenijq. nec mea ut Pythiae diuino afflatu, instinctuq. mens concitatur, ut uersus fundere ornatos sine labore, arte, sineq. animi alacritate possim. Id nemini antiquorum contigisse memini. Tu praestantissime Comitule forsan ceteros ex te ipso metiris, qui admirabili naturae habitu ad dicendum instructus, ex tempore quidquid alterius stylus exercitatus data opera efficeret, compenas. Tu uere anima frui uideris, qui praeclari facinoris, & artis bonae famam quaeritas, & studijs intentissimus ita multis prodes, ut existimationis partae fructus nullus sit in conuentu hominum maior, ac nobilior. Duo haec uitae genera ita complecteris, ita illud uoluptate corruptum, quod belluarum est, et infimorum hominum abhorres, ut uere perfectus uir, absolutus, ac beatus, dici merito possis. Tu philosophiæ, tu ciuilibus disciplinis, eloquentiae, astrologiae, ceterisq. artibus studes, ut tibi quiescenti agendum,

& agenti quiescendum sit. tu non solum leges codicibus scriptas, aut aeneis incisas tabulis probe calles, sed imbutus illa lege es omnium regina, & mortalium, & immortalium, illa inquam uiua, aptaq. ratione, quae numquam animum tuum suo ductu, sua moderatione destituit. Recte à ueteribus sapientibus dicitur non imitandus Iuppiter sceptro fulmine, tonitruis, fulgoribus: at uirtute, honestate, aequitate, iustitia ueritate, mansuetudine, sapientia, quibus rebus nihil est diuinius, neq. aether, neq. lux, neq. solis cursus, neq. exortus, & siderum occasus, liceat mihi haec amplificare, nec ipsa immortalitas, aut aeternitas. Non enim felix est Deus uitae spacio sed quod est princeps uirtutis imo uirtus ipsa simplex, et absoluta. Tu ergo qui proxime, diuino beneficio, ad illū accedis minime mirandum est, si & contemplari, agere, publicis, priuatisq. negocijs interesse, carmina condere, disciplinas tractare facile potes. Nobis autem nō licet esse tam disertis. Quod meis lucubrationibus faues, easq. ornatissima laudatione prosequeris, ex urbanitate, suauissimisq. moribus tuis proficiscitur. Hoc ueluti amicitiae condimentum quoddam tanta comitate Comituli permistum, non erit forsan, qui reprehendet. Ego uero meas uires expertus sum, & quo minus ingenio, ac memoria ualeo, subsidio mihi librorum copiam comparare debeo. Omnia igitur Platonis, Diuiq. Augustini monumenta, si istic adsunt, à bibliopola emerem. De qua re me certiorem facito. Vale. Ex castro Plebis.

ROMANORVM IMPERATORI, nomine Cardinalis Alexandrini.

ACcepto nuncio de Maximiliani Imperatoris obitu, quamuis in tanta publicae rei calamitate maxime permoti essemus, cum afflictas hinc nobiles ciuitates, illinc prope funditus euersas, ac hereticorum prauitate labefactatas uideremus, tamen tua Caesar in Rom. Imperium successio multum & me consolatur (ut de me prius loquar, qui Principum augustissimae Austriacae familiae studiosissimus semper fui) & omnes mei ordinis uiros, ac sane Pontificem ipsum Maximum. Tua enim Catholica uitae institutio, religiosissimi mores, animus ad Christianam Remp. iuuandam, & ad hanc sanctam Sedem defendendam inflammatus, bonis artibus imbutus, in spem maximam, et, quemadmodum perspicere possumus, uerissimam, nos adducunt, atq. erigunt. Cui rei illud mihi subijciendum uisum est, maiestatem Imperij nullam umquam temporum difficultatem ullo pacto posse infringere, si amplitudo ista Christi, Cabolicaeq. pietatis praesidio munietur, nec à religione officij erga Romanos Pontifices declinari. Quod saepe Pius V. pijssimus, ac sanctiss. Pontifex auunculus meus dicere solebat. Nec ullum praeterea bellum, ac nihil conatuum quidquam euenire posse ex sententia, uel diù duraturum, ni uerae Religionis studio uel defendendae, uel amplificandae susciperetur. Reliquum est, ut pro

Maiestate tua, benignitateq. & me ipsum, fratres meos, ac fortunas nostras omnes in fidem, clientelãq. recipias. enim fore, ut in officio praestando nemo umquam reperiatur, qui nos uincat. Deus Opt. Max. incolumitatem, Imperiumq. firmum, ac secundum tibi quam diutissime largiatur. Roma. Pridie Kal. Nouemb. CIↃ. IↃ. LXXVI.

ANDREAE CARDINALI AVSTRIACO, nomine Cardinalis Alexandrini.

CVm te nuper in sacro consilio Pontifex Max. in Cardinalium ordinem cooptasset, me pro illa ueteri in omnes Principes clarissimae, potentissimaeq. Austriacae familiae animi propensione, ac studio, sane maxima laetitia perfudit, gratulariq. tibi absens uolui, praesens fortasse propediem huic officio multo magis satisfaciam, si, ut multorũ sermone percrebuit, Romam te contuleris. Vbi in his, quae imperaueris, quod ut facias unoquoque tempore te etiam atq. etiam rogo, tuæ uoluntati, tuæq. iussioni me præsto fore non obscuris experimentis deprehendes. Ac postquam tibi Pontifex Max. hanc sacram, amplissimamq. dignitatem detulerit, teq. in loco tam excelso, atq. illustri posuerit, S. Cath. Q. R. E. uirtute tua, consilio, adiumento subleuari, ac R. P. Christ. non mediocriter augeri confidimus. Iesus Christus te caelesti, diuinoq. beneficio in dies magis cumulare dignetur. Roma. viii. Kal. Decemb. CIↃ. IↃ. LXXVI.

Antonij Ascotutij

ADmiror teneris te carmina condere in annis,
Carmina, queis poteris uincere Virgilium.
Iunior es licet, ipse, melos tamen ore refundis,
Dulce ut Homerus habet, uel Maro noster habet.
Quantus eris senior? nunc iam te Nursia gaudet,
Sicut laeta suo est Mantua Virgilio.

Incerti auctoris.

TRistis sacrilego quereris de fure Catena,
Qui tres est ausus surripuisse libros.
Nec tu multiplici nodo turpe ulta fuisti
Commissum, haud leuius sic tibi crimen inest,
Furis furari quis nesciat esse? Catenae
Stringere? non dici iure catena potes.

Iulij Paraciani

DEsine prisca tuos quid iactas semper alumnos
Aetas? iam supero secula prisca nouum.
Obijcis heroas multos uirtutibus auctos?
Parce, Catena tuis splendet in orbe magis.
Quisq. suam tenuere illi artem, noster alumnus
Quo beor, hic omnes murice dignus habet.

Io.Franc.Cocchi.

MEn'uis carminibus tuis Catena
Immortalibus adnotare fastis?
Vis me uiuere fata post suprema,
Nec meum in cineres abire nomen.
Et tantum tribuis meae iuuente,
Quantum ego cuperem ultima in senecta.
Ergo quid tibi deprecer Catena,
Quid à concilio expetam Deorum?
Donent scilicet ut tuis libellis,
Quod iam Moeonio dedere uati,
Et quod Pindarico, Appuloq. plectro.

Antonij Cocchi.

ERgo ne me iuuenem tanto dignaris honore,
Extremoq. facis me superesse Rogo?
Per te nulla meum capient obliuia nomen,
Nulla premet mutum nox taciturna caput.
Nam cum summa dies aeui dabit ossa sepulchro,
Aurea diuino carmine in astra ferar.
Et tibi debebunt tantum mea nomina, quantum
Moeonio debet Pelias hasta Seni.

SIGISMVNDI. DO nati Corrigienſis.

VAtibus e priſcis, aliquis ſi forte rogarit,
Quis mihi ſit princeps, Virgilium referam.
At ſi de noſtris quae ſtet ſententia quaerat,
Praeſtes iudicio docte Catena meo.
Iam quid enim in uarijs muſarum dona probemus,
Omnia ſi ſimul haec una Catena ligas?

FEDERICI Frangipanis.

AVratos orbes ueluti precioſa Catena
Nectit, & exornat candida colla nurum.
Sic animi pulchros ſenſus, facunde Catena,
Iungis, & his decoras pectora docta uirum.

BRVTI FARNETI

CVm bene fatorum nouiſſet numina Pallas,
Quaeq. tibi à ſuperis munera danda forent.
Naſcenti egregium nomen dedit illa Cathenae
Quippe fut urum in te crederet omne decus.
En decus illud adeſt; nec ſpe fruſtrata Minerua eſt,
Aurea iam dici iure Cathena potes.

Nestora consilio uincis, grauitate Catonem,
Et superas sancta relligione Numam.
Iuraq. sanctasq. hominum tibi noscere leges,
Et dedit arguto Delius ore loqui.
His hominum nectis mentes, his pectora donis
Allicis, & magnas condis amicitias.

FINIS.

REGISTRVM

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTV.

ERRATA IMPRESSIONIS

Sic corrigito.

Car. 3.b. omnia cooptare.	omnia aptare
12.b delicieq;	deliciæq;
13. b ſic ueras.	ſic curas
14. a Rebaccheris.	Debaccheris
Corrigi.	Corrigii.
vngue.	unge
17. a totam.	totum.
b veteris.	veneris
25. b ſublultibus.	ſubluſtribus
b Peroſa	peroſa
29. b Naracletus.	Heraclitus
33. b iuſta.	iuſte.
35. b tremune.	tremunt
40. b preſtetur	preſſetur
41.b o Cur	Cur
ſtepitet.	ſtrepitet.
42. b proprio	proripio
47 b frons.	fons.
nulla.	nullo.
48. b Mæui	Meui.
50.a uirginis.	uirgines.
uerine.	uerina.
51 b fletuit.	fletus.
54. a MITELLA.	MITELLAM.
56. a illecebresq;.	illecebrisq;.
57. a qui.	quis.
magne.	mage.
62.a ocells.	ocellos.
64. a mutant.	nutant.
b obſiſtit.	obſiſtis.
72. a labor.	labro.
b gacili	gracili.
73. a ſenes.	ſenex.
b qunato	quanto.

78. b homarum.	hamorum.
Car. 82. a CLAVDA	CLAVDIA.
lucidibus.	Lucidulis.
nigrenti.	nigranti
84 a uelo colligaq;	uelo tege colligaq;
85 a cedere ferreis	ferreis cedere
87 a lætere	lætare
capi	rapi
96. a nobilita	nobilitas
b purpurea.	purpura
97 a uerum.	uirum.
100 b petrare.	patrare.
adeundo.	adeunda
104. b uiduo.	uidua
106. a cadentia	candentia.
b tuo.	tua.
113 b moues.	mones.
116 a Dot.	tot.
117 b mactandam.	mactandum
118. a Hac	Hæc.
124. b Quot.	Quod.
129. b Hic Phoebus.	En hic Phoebus.
130. b preſtauit.	preſſauit.
134. b neq; aliis.	neq; his neq; aliis.
137 b libris.	liberis
138. b uſum doctrina.	uſum doctiora
139. a aliquot.	aliquod.
is	ſi.
140. a tum gratiam.	tuam gratiam
142. a quid rei	quid re.
interdict-	interdicto.
libuiſſet.	libuiſſe.
Quot.	Quod.
144. a Eccel.	Ecc.
155 b declinari.	declinarit.
156. a enim fore.	Pollicemur enim fore.

I. HIERONYMI CATENAE

Poematum. Liber octauus.

AD FRANC. ALCIATVM Card. AMPLISS.

De Mercurij Icone ab ipso in Academia sumpta.

QVod tibi Rex superũ ter summos donat honores,
Quod triplici lauro tempora cincta geris,
Monstrat Atlantiadis paribus caducifer alis
FRANCISCE ingenij maxima signa tui.
Quo tu Naturae mores praenoscis, & omnes
Concinis euentus, & supera alta petis.
Sublimisq. Ordo, Sophia, & par ipsa potestas
Regibus, Hermetis contulit omne decus.
Hinc tua par geminos Caeli peruexit ad axes
Fama, & inextinctum nomen habere dedit.
Sed tu dum liquidi mel fundis rebus agendis
Eloquij, nato pleiade maior ades.

AD LOTHARIVM. COMITEM Torquati F

LOTHARI, Comitum claro qui sanguine cretus,
Egregio laudum tramite carpis iter,
Si generis priscos contendis uincere honores,
Et decus antiquis imposuisse nouum,

Te capiant primum dulces ante omnia Musae,
Flauaq. odorata tempora fronde tege.
At firmata uirum cum te robustior aetas
Fecerit, Odrysius ducat ad arma pater.
Nec te sit belli teneat qui doctior artes,
Quiq. Italum repleat spe meliore genus.
Viderit ut primum Turcas post terga reuinctos
Brachia, Romano subdere colla iugo.
Ereptasq. urbes Orientis marte tyranno,
Atq. Cyprum, & claram sole nitente Rhodon.
Te iam iam Pharias gentes, mox uincere & Afros
Spectabit, Nomadas iussaq. obire tua.
Sic demum toti leges uictricibus armis
Orbi iterum per te martia Roma dabit.
Sic Tiberis cunctis praestabit sceptrifer undis,
Quae regni metuent iura superba tui.
Praeclarosq. tuos laudabit Apollo triumphos,
Et fama aeternum tollet ad astra decus.

IN METICVLOSVM

QVid Clypeum sumis, galeam, thoraca, trilicem
Loricam, atq. ocreas, spicula, pila, sudes?
Non eris his tutus, pugno trepidabis inermi,
Namq. armare metum Brixia nulla potest.

AD ANTONIVM PERENOTVM

Granuelanum Card. Amplifs.

FAcundi haec aetas nil curat nomina uatis,
Nil quod ab Aonio uertice Apollo canit.
Sed turpis tantum lucri dulcedine capta,
Iam super aggestum congerit usq. lucrum.

 Rebus

Rebus in augendis mens est, quascumq. per artes,
Direptaeq. domus, aeraq. rapta iuuant.
Verùm res pereunt, cuncti post funera linquunt
Diuitias, haeres fundit, & hostis opes.
Fama uiget nulli Musa est obnoxia letho,
Ausonidos linguae gloria magna manet.
Tunc mihi Virgilium obijciunt, satis omnibus vnus
Sufficit, hic uatum maximus, hicq. decus.
O miseri, quo tamen lucri sitis? ergo Maronem
Laudatis, quoniam nil petere ille potest?
Granuelane sapis, dulci testudine ductus
Qui dare laurenti ditia dona soles:
Hic plectro grauiore sonat, modulataq. condit,
Et uere heroa carmina digna tuba.
Numinis huic uires omnes inspirat Apollo,
Huius & hyblaeo labra liquore fluunt.
Hic longe statuit laudum monumenta tuarum,
Regna canit iusto recta sub imperio.
Hic uigil Aonio te tollit ad astra labore,
Et dabit extinctos uiuere post cineres.
Tunc mirabuntur Belgae, Moriniq. feroces
Consilia, heu sero si sapere incipient.
Cogentur tandem Hesperij peccasse fateri,
Quod monitis ullam non habuere fidem.
Cum bello exciti populi, rabieq. furentes,
Eripient duro libera colla iugo
Vndiq. cum Mauors undabit sanguine campos
Europae impellet cumq. Megaera duces
Sed tu praepetibus iam curre per aera pennis.
Huius & ingenium, consiliumq. refer,

Calliope, doctas nam diligit ipse sorores;
Diuitijs uates praeposuitq. suis.

AD ISABELLAM. BONELLAM
Taurellam Mõtis Claruguli dominam

O quae ta m specie, atq. honore praestas
Omnes Italicas BONELLA Nymphas
Da viro facilis genas tenellas,
Viro nobili, & optimo, erudito,
Vrbano, lepidoq. & eleganti
Nam semper celebraberis Camoenis
Inter caelicolas locaberisq.
In magna Iouis imperantis aula
Flecte blandula flecte in illum ocellos,
Voca ad delicias, iocosq. amoris,
Illum dilige mutuo, illiusq.
Peruras animum in dies, & horas.
Hinc senes abeant, anusq. turpes,
Sueti singula bella fascinare,
Sic dij secula longa, sic beata
Vobis viuere amore dent perenni.

AD GVLIELMVM. SIRLETVM
Cardinalem Amplissimum.

Audistin saeui tam magna incendia belli,
Tot diri exitij causas, animiq. profanos.
Errores, queis Belga furit, Senonumq. tumultus
Excitat, ac tepido conspergit sanguine campos?
Audisti ut canibus dedit ille rapacibus escam
Corpora natorum late dispersa per agros,
Vt socer, & coniux fraterq. paterq. propinquas
Exercent coedes, horrentia praelia miscent?

Polluit

Polluit hic patriam legis contemptor auitae,
Ille fouet diramq. hydram, Regumq. rebelles,
Alter regnandi stimulis exestuat atrox,
Impius & CHRISTI nomen delere laborat,
Alter & insano uindictae accenditur igne.
Dum tot mõstrorum facies, dum saeuit in omnes
Mauros, atq; animis agitat discordibus iras,
Classica dumq. fremunt, Tu caelo lumina tollas
SIRLETE. O qui cura Deũ es, cui numina pandũt
Pro magna pietate domos fulgentis Olympi,
Cuiq. profanãtum doluere immania facta;
Fac Deus, ut sceleris iam uindex ad sit, & ultor,
Omnipotens Mariaq. satus, domitorq. Tirrãni
Tartarei, expendit meritis qui praemia digna.
Facq. pijs animum firmet, uiresq. ministret,
Detq. pater, ne uana metus, fallaxq. cupido.
Impediat, cunctis oriatur iustitiae sol.
Concilet Morinos, odijsq. tumenta gentis
Pectora, composito declinet foedere Martem,
Et profugam terris pacatus reddere pacem
Iam uelit, ut populi extollant Rectore sub uno.
Laudes, & sanctas suspirent aetheris arces.

DE IVLIO MAXIMO
Romano

IVlius à magno deduxit nomen Iulo
Qui bellum latio gessit, & auxit opes.
Hic autem bellum uitijs indicit, & alta
Mente uiam rectae sic rationis init,
Vt non ambitio, non uani sensus amoris,
Vt nil perstringat pectora auaritia.

Sed coelum inspectet, sed opes meditetur Olympi,
Maximus hic, magnus ille uocandus erit.

IN. LYDIAM

QVid facit ob fucum tam magnum Lydia sũptũ,
Cum facile possit tota minoris emi?

AD. LOTHARIVM. COMITEM POlum, Castrũ in Aequicolis proficiscentem.

AVsoniae o magnum columen spes altera Romae,
Tange Polum, & latij numina sancta cole.
LOTHARI, & doctę repetas secreta Mineruae,
Inuigila, ut capiat uix tua facta polus.
Vtq. tuae gentis sacris te patribus aequans,
Huic operere queas, illi aperire Polum.

AD. EVNDEM

TE uere decet ire Polo, conuexaq. Olympi,
Vertere, & aethereo fundere ab axe diem
Ille tibi, cuius radijs fulgentibus astra
Aufugiunt, toto par uidet Orbe nihil.
Et cedit currusq. tibi, ardentemq. coronam
Linquit, Atlanteo gurgite, & usq. latet.
O felix, nimium felix pulcherrima rerum
Pareat imperio si quoq. Roma tuo.

AD ANTONIVM. CARRAPHAM cardinalem Amplissimum.

SI cultum ingenium, quo uirtus aurea tollit
Per numeros omnes sese, quam nulla tacebunt
Secula si doctus reserat tibi delphica Phoebus
Secreta, ex omni fecit te parte beatum,
Si te conspicuum praebet candorq. fidesq.
ANTONI, excelsa probitas cum in sede locauit

Non secus obscura cum tectum nube cacumen
Illustrat montis Titan, cum luce corusca
Expellit nebulas, apparent aethere puro
Colles, & scopuli, & uiridi cum flumine uallis
Cur te non ueneres, non quaeram carmine laudes
Texere, ut Aonides nomen super aethera tollant?
Juppiter, ut Sophiae quanta immortalia ductu
Facta aedis, seu cum summis de rebus habetur
Consilium, seu detur honos castisq. foroq.
Non Pylos, aut Ithace similem uidere, nec unquã
Virgo Astrea parem caeli conspexit ab arce.
Quem non desidiae ignauum, non marcida luxu
Ocia, at insomnem studia tenuere per omnes
Noctes, atq. dies tot magna volumina legum,
Totq. subire negotia Sisyphiosq. labores
Cui datur, hinc nostro splendescit purpura seclo.
Hinc fera auarities semen, radix malorum
Exulat, hinc demens expellitur ambitus auro,
Ventoso eijcitur tumefacta superbia flatu.
O nimium dilecte Deo, tibi munera mille,
Mille parat fasces, sacros tibi mille triumphos
Quae coelo aequauit animos Saturnia terra.
Nate uir ad laudẽ, ad diuũ decora alta quiritũ,
Extremus noscet Tanais, gelidiq. Triones,
Et Libya exardens, fluuio septemplice Nilus,
Solis & ortus, Solis & occasus, geminusq.
Axis, quidquid agis, quidquid tu mente uolutas.

DE VICTORIA CORAMBONA

Montalta

Oppressit postquam fati violentia Romam
Obruit hostilis vasta theatra manus.
Ausoniae postquam confregit barbarus arces,
Et victrix cecidit, victaq. ROMA *diu est.*
Sidere surrexit VICTORIA *nata secundo,*
Cui certatim omnes dijq. deaeq fauent.
Haec quaecunq. suo lustrat Victoria uultu
Vincit, Romulidum restituitq. decus.
Quam solam aspiciens, mirum, se uicta fatetur.
Vincere, quamq. olim Roma nitere magis.

AD FABRICIVM CARRAPHAM

Antonij Card. Nepotem.

Nobile quod clara praefers ab origine nomen,
Quod tibi magnificas Iuppiter addit opes,
Quodq. tumes roseo patrui fulgente galero,
Quodq. capit lautas mensa opulenta dapes.
Non sunt tantarum laudum praeconia, non sunt
CARRAPHA, *expendit, quae bona uulgus iners.*
Sed quod laurigera multum Pimplaeide gaudes,
Saepius & culto Pythius ore sonat.
Sed quod te decorant praedoctae Pallados artes,
Eloquij sed quod mel fluit omne tibi.
Parthenope per te Siren tumulata reuixit,
Suauiloquis labris nam sedet illa tuis.

AD IVLIANVM MANCINVM

Mittit fabulam de Gallo gallinaceo.

Quas inijt formas socius Mauortis, & ales
Excubitor rumpat cur muta silentia noctis
Accipe,

Accipe, qui lepidas musas Mancine coerces
Pallade cum docta, si tu iam furta deorum
Vidisses, numquam laesissent vincula amantes
Lemnia, iocundae tam saeue incommoda nocti.
Mitis amor, constansq. fides, diuaeq. triformes
Nam Charites semper te nutriuere decentes,
His tu Nympharum nectis precordia nodis,
His si uinciri potuissent Marsq. Venusq.
Tardipedis numquam timuissent vincula Fabri.

AD ANNIBALEM LAVDATVM
Caietanum de Liuia Beccaria.

Laudari, LAVDATE, *viro, si gloria magna est,*
Laudato, maior vatis, & ore cani.
Illa tuas laudes, modulataq. carmina auena
Hetrusca, magni culta puella facit.
Et merito, quis enim Musis est carior alter,
Virtutemq. animo nobiliore colit?
Perge igitur per prata nouos legere vndiq. flores,
Et laudum Ticines construere arte fauos.
Et modo flauentes crines, modo sidera frontis.
Et modo mel, roseo quod fluit ore cane.
Et quam turpabit faciem non pallida ruga,
Nam similes format casta Diana genas.
Quocumq. incidat, quocumq. & lumina flectat,
Sternat odorato se uenus ipsa solo.
Rari animi dotes sed primis insere cartis,
Haec bona sunt uere, cetera uicta cadunt.
Vt numquam maculis aspergat candida uitam
Grata Deo, ut doctae Palladis arte micet.

Inscia

Inscia foemineiq. doli, fraudumq. malarum,
Vt gerat ingenua peruia corda fide.
Ergo tot insignes propera conscribere laudes,
Condere & Orphea carmina digna lyra.
Hac etenim celebri decoras si secula laude,
Laudatum uestrum nomen utriq. dabunt.

In quendam, qui poeta haberi volebat, quod Pasquillos scriberet.

CArmine cum maledicas, dicis uatis habere
Nomen, & in cunctos ius quoq. habere uiros.
Hincq. uenena iacis per magna palatia: stulte
Num uatis nomen, qui male dicit, habet?

AD. I. ANTONIVM. FVSCONIVM

Hortatur ut in curarum fluctibus positum subleuet.

SI prope conclamatus, & atro iam additus Orco,
Fusconi, dicor, nil mirum, namq. carina
Vndifrago iactata mari est, euriq. notiq.
Nostra ruunt penitus caelato sidere transtra.
Tu potes auxilium mihi tamquã candida ferre
Leucothea, Vlixem tumidis quae seruat in undis.
Tu qui dijs gratus, qui iusta pendere lance
Suetus iura hominum, inuigilas causisq. clientũ,
Eripis hunc, illum iudex qui Romula in Vrbe
Litibus implicitum, et curarum turbine ab omni.
Iam fer opẽ, moueat pietas, clamorq. praecãtis,
En praeceps rationis inops, en caeca profundo
Voluitur ipsa ratis, scopulis se illidit acutis.
Iam fer opem, quod si tali me munere dones,
Protinus exangues nostros uigor imbuet artus,
Virtus

Virtus ac tutum ad praecordia nota redibit,
Continuo mites implebunt carbasa cauri,
Tibris & optato potiemur fluminis alueo.

AD SVEVAM

SVada mihi suadit suauis Sueua suaue
Vt rapiam, tenuis? saeua Sueua mihi es.

AD. IACOBVM. BON COMPAGNIVM

Reddit rationem, quare dimidiatum Draconem pro insignibus gestet.

FAstidico, vt perhibent, olim praedixerat ore
Pulchra Themis, quendam natũ Iouis altitonãtis
Affore, qui vigili auferret tutata dracone
Hesperidum poma. illum Graij, ut cetera Graij,
Amphitryoniaden mendaci carmine fingunt.
Cum tua Iacobe Hesperidum memoranda propago
Felices hortos, siluam fulgente metallo
Foedificam praedata foret, medium ipsa dracone
Dissecuit, duxitq. fero uicto hoste triumphum.
Ergo tuae genti truncatum insigne draconem
Dant gestare, tuis sic emicat aureus armis:
Quo trepidant Thracũq. rates, Nomadumq. pha
Turca ferox, nostrũ qui nõ cõmuni retẽtat (lãges,
Exitium, haud Christi populos miscere ruina
Audet adhuc, turpi sed conterit ocia luxu.
O decus egregium, cui nunc celeberrima fama
Eminet, & uolucri circumuolat aethera penna:
Foelix ingenio, foelix quo accinctus in usus
Fert animus quascumq. uices, seu rebus agendis
Praepositus responsa aedis prudentiae, & alti
Consilij plena, aduersas seu sternere ferro,

Fundere

uandere seu turmas equitũ,peditumq. cohortes,
Tormẽtis aut firma iuuat quatere oppida,et arces
Aut tractare sacrae doctas Tritonidis artes,
Seu cum Cyrrhaeo componere carmina uate,
Non gerit his quisquam maiora domiq. forisq.
Iure igitur populi sequitur te gratia uotis,
Diceris Vrbis amor,tibi stamina longa precãtur
Quaeq. colũt ripas,Tiberinaq. flumina nymphae,
Sideribusq. ferunt magnus cum plebe Senatus
Viuendi mores,Laetum Paeana per vrbem
Turba canit uolucrem dissectum Marte draconem
Aspiciens,hinc est,quod iam te sospite uirtus
Romulidum se tollet humo,quod secla redibunt
Aurea,& optata dabitur quod pace frui sci.

AD LIVIAM BECCARIAM.

Spairanam erure Romam uocat.

QVae rura inuident coelestes LIVIA honores,
Quae desiderium surripuere mihi?
Non quod odorifera tingis speciosa capillos
Ambrosia,atq; manus pexuit apta comam.
Aut Pallas distĩnctum auro quod tradat amictum,
Zonam,quae bullis pendeat aureolis,
Aut quod tergeminas utrinq. appendis in aures,
Reticulumue geris sole magis rutilans,
Non cestus,quo cincta nites,dona alta Cytheres,
Quo sunt illecebrae,risus,amorq. iocus,
Quo sunt Romulidum captantia pharmaca mentes,
Et Veneres omnes,iurgia,& ira,dolus,
Non quod tu superas uultu formosa decoro
Omnia,cum lustras lumina luminibus,

Sidra

Sidera nigranti ceu illuminat aere Titan,
Pellucidus densas disijcit & tenebras,
Discessu dolui, crudelia rura uocaui,
Quae tot luciferis detenuere bona.
Sed quod puniceis tua uerba fluentia labris
Audire & dulces excipere aure modos
Non datur, & nymphas inter celebrare choreas,
Foedere dum sancto corpora iungit hymen.
Hic sine te mutae Charites, nymphaeq. nouenae,
Hic sordent oculis tecta superba Remi.
Heu quid cum septem sine te mihi collibus Vrbis,
Quid mihi cum Nymphis caerule Tibre tuis?
Vt leo cum ceruae foetum discerpit aduncis
Vnguibus, heu lacerat sic mea corda dolor.
Ah te non teneat florens amaranthus amomum,
Nec teneant rubro mista ligustra Croco.
Vitifer haud collis, cereris flauentiaq; arua,
Haudque sub uigili poma dracone rubent
Non iuuet errantes te prospexisse iuuencos,
Nec stolidum pascens pabula lecta pecus.
Angusti sunt ista animi, uereq. pusilli,
Haec satiri, hæc fauni rustica turba colunt
Sed potius Tibrim, septemq. in collibus Vrbem,
Clarorum spectes sed monumenta uirum.
Hic te felicem magno scriptore uocabis,
Cui strepit arguto castalis unda pede,
Hic poteris sanctis mentem saturare figuris.
Hic de te longum fama loquetur anus.

AD. CLAVDIVM CICCOLINVM.

VXorem CLAVDI ille uult puellam
Bellam ducere fœtidus, senexq.

Veternus, Capularis, exoletus,
Ille edentulus, ille gibberosus,
Rugosusq. odiumq. panticosus,
Mucosus, Silicerinum, herniosus,
Exossisq. acheronticusq. blesus,
Hircosusq. oculosq. gramiosus?
Ille qui cuculat, tetrinit, aedit
Rictusq. & crepitusq, senticetum,
Bellam ducere cogitat puellam,
Qua cum dormiat: osculetur, atq.
Quam? sed dicere me pudet: furore
Cur tu non furis, inuehisq. in illum?
Tu qui nobilis, elegans, disertus,
Pleno pectore qui sapis, potensq. es,
Consultissimus omnium virorum,
Addas hunc Scythiae, Africaeq. monstrum.

De baptismate Magni Principis Hetruriæ.

Iordanis si Magne tibi dedit vnda salutem,
Tu exitium Solymis, Threiciisq. dabis.

DE CANDIDO ZITELLO, ET
Io. Berardo Tebaldesco.

Candidus, & Ianus magnae praeconia laudis
Non procul à patria hic, attamen ille procul
Extendunt, domus exultat iam clara triumpho
Vtraq. Daedaleae Palladis auxilio.
Ac gemina uirtute deae ualet alter, & alter,
Hic & opes stabilis, mobilis ille parat.
Altera nunc patriae uirtus si gloria, honorq. est,
Romanae accedit altera fama togae.

I. HIER.

I. HIER. CATENA LOTHARIO COMITI. S. P. D

NOn amplius, nobilifsime Lothari, in coniectura mihi profpiciendum eft, cum iam expertus planè, uideam te hinc non uoluptatis cauffa difcefsiffe, ad iftamq. falubris loci amoenitatem, praediaq. belle aedificata profectum, ut cura, & negocio uacares, ociofamq. aetatem, & quietam fine ullo labore, atq. animi contentione traduceres, fed ut in ftudia literarum libero homine digna pro uiribus incumberes illud mihi declarauit Epiftola tua, quam proxime accepi, omnis eruditionis, omnis Latini fermonis elegantiae plena, ut iam fapere omnibus bonis uidearis, ac nequaquam prauis uoluptatibus allici, fed ne illarum quidem meminiffe, ea .n. pars animi, qua ab aliis fecernimur, gloriae honorisq. cupiditate capitur. Ea uera eft nobilitas, quae uirtuti adnititur, nihil turpius exiftimandum eft, quàm fe ipfum honorandum, non obclarum facinus, fed propter amplum patrimonium aut fortunas praebere. Et quid aliud quam lumen quoddam, maiorum gloria effe uidetur? Nobilitatē parere uirtute debemus, ea fola neq. datur dono, neque accipitur. Domus tuae pulchra eft nobilitas, fed maiorum tuorum exiftit bonū, praeciofae diuitiae, fed eft fortunae poffefsio, quae habentibus, & minime fperantibus det, & auferat. Haec, clarifsime Lothari, foepe animo uolue, cogita uirtutem uoluptatibus omnibus, & inertiae contrariam effe. Nihil tam alte Naturam conftituere, quo uirtus eniti, nihil adeo arduum, ac difficile, quod confequi non pofsit. His cohortationibus ad ftudium, & laborem te impellendum non putaui, cum auorū, ac proauorum feriem, totq. Max. Pontificum, qui è domo tua profecti funt, claritatem ante oculos habeas, uerum currentem, ut aiunt, incitare uolui, hortariq. ut crebro ad nos litteras mittas, quas Card nofter Alexandrinus, qui te unice amat, libentifsime legit. De rebus Gallicis quid habeam noui te certiorem faciam his tabellis, quae ad te perferentur. Nec te probare certo fcio, Regem cum perditifsimis illis uerae religionis

gionis desertoribus foedus iterum iciſſe, quod non ſemel fregerunt. Nulla .n. ſocietas cum impio hoſte, infideliſsimoq. foedere ullo, confirmari poteſt. De Belgicis, neſcio quid afflauit rumoris, Ioannem Regis fratrem à populis circumuentū, Hiſpanos omnes milites cōſiliarios, incolas, pueros, mulieres omnes partim prouincia pulſos, partim trucidatos, nec nomē quidem Hiſpaniae relictum. claſſem Turcarum hac aeſtate paratum inſtructam, ornatamq. comperimus & in ora illa maritima diſpoſitam, quae loca non ſatis munita tueatur cetera codicilli te docebunt. Vale.

FABRICII CARRAPHAE.

DVm CATENA tuis nectis mea nomina cartis
Das mihi perpetuae laudis honore frui
Et tua cum nullo deleri carmina poſſint
Tempore, me reddis tempus in omne tuum.
Quod me diuinus ignarum uatibus inſers,
Id mihi perpetui cauſa pudoris erit.
Omine ni poſthac tali deuictus Apollo
Digna mihi Aonio carmina uate canat.

LOTHARII COMITIS.

Aurea Meonide pendet uelut aethere ab alto,
Et ſeriem rerum longa Catena ligat.
Hinc tua ſic cælum tendit, titaniaq. aſtra,
Et pedibus fatum ſubijcit omne tuis.

FINIS.